Digitized by Google


Iohañes Henricus Kromayer
Philoſ. P. P. O
Societ. lat. Jenenſ. Director.
Syſang ſc.

EXERCITATIONES SOCIETATIS LATINAE

QVAE IENAE EST,

PVBLICATAE

AB EIVS DIRECTORE

FRIDERICO ANDREA HALLBAVERO

S. S. THEOL. DOCTORE ET PROF. P. O.



LIPSIAE
IMPENSIS CASPARI HENR. FVCHSII.

HALAE, LITTERIS IO. IVSTINI GEBAVERI.

M DCC XXXXI.



SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

FRIDERICO WILHELMO

ET

SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

ANTONIO VLRICO

DVCIBVS SAXONIAE

IVLIACI CLIVIAE AC MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE LANDGRAVIIS THVRINGIAE MARCHIONIBVS MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITIBVS HENNEBERGIAE COMITIBVS MARCAE ET RAVENSBERGAE DYNASTIS RAVENSTEINII RELIQVA.

PRAEPOTENTIS
SAXONICAE DOMVS STIRPIS ERNESTINAE
SENIORIBVS
MVNIFICENTISSIMIS
ACADEMIAE IENENSIS CONSERVATORIBVS
SPLENDIDISSIMIS
S. R. I. PRINCIPVM ORNAMENTIS
INSIGNI
ILLVSTRISSIMARVM A MAIORIBVS
TRANSMISSARVM IMAGINVM
SERIE NVMERO SPLENDORE
PRAECIPVE VERO
IMMORTALI
VIRTVTVM PRAESTANTISSIMARVM
ET INGENTIVM
IN IMPERIVM R. G. MERITORVM
GLORIA PRAEFVLGENTIBVS
PRINCIPIBVS
TANTO MAIORIBVS
TANTO AVGVSTIORIBVS
QVOD
AVGVSTAE GENTIS SAXONICAE
DECORA MVLTO SPLENDIDISSIMA
EX OMNIVM SPATIIS SAECVLORVM
COLLECTA
DIVINO COMPLECTANTVR ANIMO
IOHANNIS FRIDERICI
MAGNI GENITORIS SVI
INCOMPARABILEM VIRTVTEM
TVENDI ET AMPLIFICANDI PVRIORVM
SACRORVM SALVTEM
HEREDITATE QVASI RELICTAM
OMNI

OMNI ANIMI CONTENTIONE
RETINEANT
ERNESTI PII
PRINCIPIS
COELO COMMENDATISSIMI
VNIVERSAE QVONDAM GERMANIAE
ADMIRABILIS
OMNIBVS ORNAMENTIS
QVAE
IN PRINCIPIS PERSONAM
ET MAGNAE FORTVNAE CVLTVM
CONVENIVNT
EXCELLENTISSIMI
ADMIRABILEM TOGAE BELLIQVE
PRVDENTIAM
NOVIS IMMENSISQVE PROPAGATAM
LAVDIBVS
OMNIS AEVI
MEMORIAE ET ADMIRATIONI
REPRAESENTENT
GENTILITIVM
DOMVS SAXONICAE DECVS
QVOD EST
HERCVLES MVSARVM
ET
TVTELARIA DIVINAE HVMANAEQVE
SAPIENTIAE NVMINA
SESE PRAESTARE
SVO EXEMPLO CONFIRMATVM
AETERNITATI VELVTI CONSECRENT
QVORVM
SINGVLARI NVTV AC PROVIDENTIA
VIGET ET FLORET

ILLVSTRE QVOD IENAE EST
PRYTANEVM
VICTVRVM OMNI AEVO
SAXONICAE GLORIAE MONIMENTVM
OMNIBVS TROPAEIS
ET TRIVMPHIS GLORIOSISSIMIS
LONGE ANTEPONENDVM
QVORVM
INVSITATA ET REGALI MVNIFICENTIA
EXCITATAE MVSAE
INGENII LAVDEM
CVM SAXONICAE GENTIS GLORIA
CONIVNGVNT
HAS OPERARVM SVARVM TABVLAS
DEMISISSIMA OFFICII RELIGIONE
DAT DICAT DEDICAT
SOCIETAS LATINA
ET
VT TANTORVM
ELEGANTIORIS LITTERATVRAE
STATORVM
PROPITIO NVMINE MVNITA
FVLGENTISSIMIS NOMINIBVS
CONDECORATA
POSTERITATI SERO VENTVRAE
COMPROBETVR
SVSCEPTIS
PRO SALVTE ET PERENNITATE
DOMVS SAXONICAE
VOTIS CASTIS PIISQVE
QVAM RELIGIOSISSIME PRECATVR.

LE-

LECTORI BENEVOLO
S. D.
FRIDERICVS ANDREAS HALLBAVER
SOCIETATIS LATINAE DIRECTOR.

QVum eloquentia non tantum natura, verum arte etiam, atque exercitatione paretur; facile eſt intellectu, quae ſint in cauſſa, cur noſtra aetate adeo pauci eius ſtudio excellant. Non deſunt quidem, qui eius pulchritudine ita delectantur, vt colant oratores, qui praeſtent ceteris dicendi arte, politasque eorum lucubrationes extollant: ſed ipſi ad eius laudem conſequendam imbui nolunt, et praeparari. Alii enim ſatius eſſe exiſtimant, iis lit-

teris, et doctrinis, quae ſint neceſſariae, quam quae politae, animum excolere: neque enim aliam ob cauſſam melioribus ſcientiis operam impendunt, quam vt panem, vitaeque alendae commoda lucrentur, ideoque diſciplinas, ex quibus fructum muneris, ſtipendiique publici citius capiant, reliquis, quae tantum ornent, et praeter laudem parum adferant vtilitatis, praeferendas eſſe, exiſtimant. Alii vero quum ſint edocti, eloquentiam rem vnam eſſe omnium difficillimam, atque ex illis eam rebus conſtare, quibus in ſingulis elaborare permagnum ſit, vel ingenii viribus diffiſi ſui, vel taedio laboris, non minus in dicendi praeceptis, et exercitationibus, quam doctrinis, quae ab eloquentia ſegregari non poſſunt, expromendi, capti, facundiae, ac poliendae orationis ſtudium negligunt. Sunt tamen pauci iuuenum, in academicorum ſtudiorum ſpatiis verſantium, qui non modo cupiditate prope ſingulari ad eloquentiae, ſtilique, quibus oratio formanda eſt, exercitationes feruntur; verum tota etiam mente, cogitatione, operaque et diligentia in id inſiſtunt, vt tam apte et adcommodate, quam copioſe et eleganter dicendi rationem conſequantur. Quorum vero aduerſus deſtinationes nonnulla vt plurimum ſtare ſolent impedimenta: quibusdam librorum, huic fini inſeruientium, deſunt praeſidia: plurimi vero deſtituuntur moderatore ſtudiorum idoneo, a quo genuinae percipiant eloquentiae tam praecepta, quam, quae ſibi ad imitandum proponant, exempla, et a quo vſu, et exercitatione diuturna, ſine qua nemo bene dicendi artem obtinuit, contineantur. Eloquendi enim ſcribendique adſiduitas alit incenſa eloquentiae ſtudio ingenia, eorumque conatus ita iuuat, vt demum non modo iis, quae ſint in

ora-

oratore neceſſitatis, ſed etiam, quae ſuauitatis et victoriae, excellant, hoc eſt, vt non tantum poſſint probare, ſed delectare etiam, et flectere. Cui vero rei non ſufficiunt recitationes academicorum doctorum ſemeſtres, quibus elementa ſtili tradi, et ad conſcribenda perpauca argumenta adplicari ſolent: eae enim, dum tantum fundamentis inhaerent, excitant magis ad bene loquendi, ſcribendique laudem, et viam aperiunt ad interiores, et reconditas exercitationes, quam vt facultatem, corroborandam ſummo ſtudio, et longa conſuetudine, largiantur. Multo itaque melius iis, qui vel aetatem in ſtudiis humanitatis agere, vel cum rerum momentis ſtili nitorem adaequare, quam, vt vulgo fit, grauiſſimas doctrinas ſine cultu ſermonis proferre, malunt, conſulitur, ſi eiusmodi ſodalitates, potiſſimum in academiis conſtituantur, in quibus eloquentiae exercitationes ſint perpetuae, atque ad omnes eius partes extenſae, vt ſelectiora ingenia tam ſtudio culte, atque ad oratorum regulas dicendi indefeſſo, quam commilitonum animaduerſionibus, et honeſta laudis aemulatione, quae firmiores profectus reddit, ad ſumma contendere, atque praeſtare, commentatae orationis elegantia ceteris incipiant. In quibus ſodalitiis iuuenes ſi duo, aut plures annos diligenter fuerint verſati, ita artibus, quae ſunt libero homine dignae, perpoliti, et conſuetudine ornate ſcribendi confirmati diſcedunt, vt ſtilo caſto, et electis verbis compoſito, quae alii inculto, numeris carente, ac diſſipato contaminant, proferre, et, ſi eorum id conueniat rationibus, aut priuatim erudiendis ingeniis primariis, aut ſcholis ipſis publicis praefici queant. Ita ex iis veluti ex ſeminariis excolendarum mentium effloreſcent homines, qui publicae rei ſint et emolu-

 men-

mento et ornamento, quique amiſſam paene eloquentiae, et humanitatis ſtudiorum gloriam ſaeculo noſtro reſtituant.

Quare nullus dubito, quin prudentiorum iudicio ſocietatis latinae noſtrae inſtituta probentur, ſi intelligant, quae ſint in eius conuentibus ingeniorum exercitationes, atque excitatorum ad bene diſſerendi praeſtantiam iuuenum curricula, quae horum deſtinationes, et contentiones, et quantis ſtudiis praediſcere, ac meditari diſcant, quae aliquando publice ſint agenda. Neque enim aliam ob cauſſam non adeo pauci virorum, qui noſtra aetate principatum eloquentiae, et manſuetiorum litterarum tenent, nomina ſua ſocietati noſtrae dediſſe mihi videntur, quam vt, quam ſibi noſtri arrideant conatus, ſignificent, ſtudiis iuuenum ad omne humanitatis decus effloreſcentium et fama meritorum ſuorum dignitatem adferant, et lucubrationibus ſuis, exquiſite cultis, exempla ad imitandum proponant, et denique calcaria adhibeant. Quorum in nos voluntatem, noſtrarumque adprobationem exercitationum tanti aeſtimamus, vt magnam ei partem incrementorum collegii noſtri acceptam referamus, atque ideo ſingulos in ſocietatem fructus, qui inde in commune redundent, cum voluptate admittamus.

Quae autem ſint ſodalitatis noſtrae rationes, etſi ex ipſis legibus, quas exercitationibus, iam vulgatis, praemiſimus, cuilibet facile adparet; non tamen poſſumus, quin eas leuiter tranſeamus, atque de iis, quae ſummam earum conſtituunt, exponamus. GEORGIVS LVDOVICVS HERZOGIVS, in quo natura eximia, et in-

ingenii velocitas in doctrinae curſu conficiendo elucebat, ad ſapientiae, iuriſque diſciplinas ita incumbebat, vt aliquid ſubceſiui temporis earum ſtudiis detraheret, legendis Romanis, quos optima aetas tulit, ſcriptoribus, et purioris latinitatis exercitiis deſtinatum. Quo maiores faceret progreſſus; familiares, qui idem omnes ſentirent, ac probarent, ad exercitationum harum conſortionem allexit. Conueniebant ſeptimo quouis hebdomadis die: recitabat vnus aut alter, quae domi oratione, ſiue proſa, ſiue ligata, elucubratus erat: reliqui audiebant, et, quae ſibi parum accurate ſcripta viderentur, notabant, quomodoque ſint emendanda, finita lectione, modeſte indicabant, diſputandi ſaepe materia inde accepta. Corroboratis iam, confirmatisque ingeniis, vt in publicum eruditorum conſpectum, cum aliqua laude ſe prodire poſſe, exiſtimarent; HERZOGIVS, interea magiſtri philoſophiae, et artium dignitate condecoratus, vna cum ſociis a ſenatu academico petiit, vt conditam latinae eloquentiae, et poeſeos diligentius excolendae ſocietatem, publice probaret, et ſua auctoritate, et conſenſu eius inſtituta ſanciret. Quum ipſe tum Prorectoris munere fungerer, nihil mihi fuit prius, quam vt laudabilem politorum hominum petitionem ad ſenatum deferrem, et commendatione mea iuuarem: neque non ex ſententia res euenit, dum ſuffragiis ſenatorum cunctis, pro ſtudio, quo quisque id genus litterarum complectitur, exhibitarum legum cognitio, et, omnibus rite conſtitutis, comprobatio, publicis litteris teſtificanda, decernebatur. Quo facto, ſolemnia inaugurationis iuſta cum caerimonia pridie nonarum iun. anno a ſotere nato cIↃ IↃ ccxxxiii.

per-

peragebantur. Senatus frequens HERZOGII, cui in ſocietate ephori munus demandatum erat, et ſociorum rogatu in acroaterium theologorum venit: acceſſerunt priuati omnium ordinum doctores, pariter inuitati: confluxit varia iuuentutis litterarum ſtudioſae multitudo. In tam ſplendida concione adſederunt illuſtriſſimi S. R. I. comites, quotquot tum prytaneum hoc ornarunt, et vir meritis in litteras, quibus ad humanitatem mens excolitur, cenſendus, IOHANNES HENRICVS KROMAYERVS, philoſophiae profeſſor publicus ordinarius: ephorus, cuius latus ſociorum corona clauſit, illuſtriſſimum S. R. I. Comitem, HENRICVM VIII ex celſiſſima Ruthenorum gente, comta primum oratiuncula compellauit, eique praeſidis partes obtulit: quas quum hic pro amore in redundantis ex rerum cognitione eloquentiae ſtudia, quibus et ipſe tantum valebat, vt egregium illuſtri loco natis exemplum proderet, lubenti et parato animo ſuſcepiſſet, hancque beneuolam in ſocietatem voluntatem ſuam, reſponſione cultus, et dignitatis plena ſignificaſſet; ad celeberrimum KROMAYERVM idem ſe HERZOGIVS conuertit, atque oratione, eodem inſtructu, ornatuque comitata, ei munus directoris tradidit. Quod quum hic electiſſimis, et limatis verbis excepiſſet; CHRISTIANVS GEORGIVS ZIEGENHORNIVS, Curonus, ipſarum diuinis auſpiciis exercitationum ludum aperuit, eloquentiaeque Romanae et praeſtantiam et vtilitatem, magno auditorum plauſu, orauit. A quo tempore ſocietati adſcripti ſeptimo cuiusuis hebdomadis die, cui priſci a Saturno nomen dederunt, hora poſt meridiem III in beati STRVVII, iam vero directoris acroaterio ordi-

di-

dinarium egerunt conuentum: extra ordinem raro, et tum demum conuenerunt, ſi vel nouus praeſes, aut director ad ſocietatem accederet, vel cuidam ſociorum ſubito vale ſupremum dicendum eſſet, vel aliae collegii rationes id poſtularent. Feſti dies anniuerſarii duo inſtituti ſunt, alter ad conditae huius academiae recordationem repetendam, inprimis conditoris eius ſanctiſſimi, et conſeruatorum indulgentiſſimorum liberalitatem, virtutesque pie celebrandas, alter ad cuſtodiendam ſocietatis inauguratae memoriam: in vtraque celebritate non modo orator, ſed etiam poeta, ſociorum ſuffragiis delecti, ad dicendum ſurgunt. Ad haec ſolemnia, et quum extra ordinem verba publice facienda ſint, magnificus academiae prorector, et omnium ordinum profeſſores, atque ex doctoribus priuatis ii, inter quos, et oratores vſus et commercium eſt, inuitari; qui autem ingenii limandi cauſſa in hoc athenaeo commorantur iuuenes, litteris, tabulae publice adfixis, conuocari ſolent.

Ad conuentus ſocietatis ordinarios nemini aditus eſt praecluſus: ſed ſeparatis a ſociis locis cuilibet conceſſum eſt, iis audientiam facere, qui domi diligenter elucubrata recitant. Omne autem curriculum induſtriae noſtrae elaboratum eſt in conſcribendis varii generis orationibus; diſſertationibus, ad elegantiorum litterarum, Romanique cultus cognitionem ſpectantibus; epiſtolis, quibus vel humanitatis officium peragitur, vel aliqua politioris doctrinae materia tractatur; expoſitionibus de vitae rationibus eorum, qui ſunt adſcripti ſocietati, quum extremum diem

diem morte confecerunt; inſcriptionibus, et poematibus latinis, pro argumentorum, rerum et perſonarum, vnde occaſio ſumta eſt, diuerſitate diuerſis. Finitis ſcriptorum recitationibus, diſcedunt, qui audiendi cauſſa aduenerant; ſocii vero ſoli remanent, vt limam intendere ſuam ad corrigenda ea libere poſſint. Notare enim ſolet tabulis quisque ſuis, quae minus pure, et emendate poſita ſibi videntur, et notata modeſte proferre: quod ita fit, vt, qui infimo ſedet loco, incipiat monere, quae emendanda cenſeat, huncque reliqui, ordine quisque ſuo, excipiant. Oratoribus, et poetis licentia data eſt, quibus ſua defendant, argumenta proferendi: directoris vero ſunt partes, de iis, quae in controuerſiam vocantur, ſententiam ſuam aperire, et, ne disputantes in inanes contentiones incidant, et rixas, de controuerſis conſtituere, denique omnium caſtigationibus addere, quae forte ſint praetermiſſae, animaduerſiones. Poſtea cuncta in ſcrinio, in quo praeterea epiſtolae, ad ſocietatem datae, et librorum adparatus retinentur, adſeruari ſolent, vt ſi in iis fuerint digna, quae publicentur, faſciculis exercitationum noſtrarum inſeri queant. Deliberatum autem, et ſtatutum habemus, pactionemque hanc cum bibliopola Lipſienſi, CASP. HENRICO FVCHSIO, viro rei litterariae in maiorem vſum, et dignitatem prouehendae ſtudioſiſſimo, fecimus, vt poſt quoduis ſemeſtre ſpatium noua operarum noſtrarum collectio in lucem prodeat publicam. Quemadmodum vero cuilibet lucubrationum noſtrarum parti imaginem vnius ex collegis honorariis, ſi pictam rogatus ad tempus nobiscum communicaue-

uerit, eo quidem ordine, quo quisque nomen ſuum noſtrae ſocietati dedit, aeri inciſam praeponere conſtituimus; ita et horum potiſſimum ſiue orationes, ſiue diſſertationes criticas, ſiue epiſtolas, ſiue carmina, ad ſocietatem transmiſſas, typis exſcribendas curabimus. Volumen, quod nunc vulgamus, primum effigies primi directoris, IOH. HENRICI KROMAYERI ornat: cui licet ſocietatis res maximae eſſent curae; non potuit tamen eius conuentibus intereſſe, quod, ſuſcepta vix directoris prouincia, morbum nactus ex hominum vita XIII Cal. Septembr. anno, quam ſalus generi humano parta eſt, cIↄ Iↄccxxxiiii demigrauit. Eius merita ephorus ſocietatis, GEORGIVS LVDOVICVS HERZOGIVS funebri proſequutus eſt laudatione: qui ipſe mox inclito Philoſophorum noſtratium ordini adſcriptus, et ſummis, quos illuſtre ICtorum collegium confert, honoribus auctus ad ipſam profeſſoris philoſophiae, extra ordinem conſtituti, dignitatem adſcendit; ſed anno gratiae per Chriſtum partae cIↄ Iↄcc xxxvii vitae curriculum, a natura datum, confecit.

Quum poſt eius obitum ad me de ſententiis omnium deuolueretur cura ſocietatis; non exiſtimabam, me honeſtis precibus reluctari debere, quod, onere regiminis academici depoſito, eius negotiis vacare poteram, et muneris publici, quo tum fungebar, ratio ab iis non erat aliena: ideo XVIII Cal. Octobr. anno ſalutis redditae cIↄ Iↄccxxxiiii, in conuentu ſocietatis publico, eoque extra ordinem habito, ab HERZOGIO, ephoro, ſocietatis nomine ſalutatus, eam in me deriuari paſſus ſum.

De commentationibus, quae hoc continentur tomo, nihil habeo, quod dicam: ſcriptae ſunt plurimae a viris, quorum vel ſola nomina dignitatem iis adferrent, niſi per ſe argumentorum et delectu, et orationis cultu eſſent commendatae. Quas ſi probatas eſſe intellexerimus, viris, quibus non deeſt elegans, atque ex ipſis fontibus eloquentiae, CICERONIS et QVINCTILIANI oratoriis ſcriptis, hauſta dicendi doctrina; reliquorum vituperationem ſubire non recuſamus: probe enim ſcimus, eloquentiam nullis niſi eloquentiae oculis conſpici poſſe. Scr. Ienae V. id. Mart. cIↃ IↃ ccxxxxi.

LIT-

LITTERAE,

QVIBVS AB ILLVSTRI ACADEMIA IENENSI SOCIETAS LATINA CONFIRMATA EST.

Demnach die Vns Proreꝫorn und Profeſſoren der Fürſtl. Sächſ. geſammten Vniuerſitaet hieſelbſt unten benahmte Studioſi ſchrifftlich zu vernehmen gegeben, was maſſen Sie zeithero ſich angelegen ſeyn laſſen, die Lateiniſche Sprache geſellſchaftlich zu excoliren, nunmehro aber vor gut befunden, gleichwie vordem die Teutſche Geſellſchaft gethan, eine ordentliche Geſellſchaft aufzurichten, und ſo wohl zu Beybehaltung guter Ordnung ihrer Geſellſchaft, als auch zu derſelben mehrern Aufnahme, gewiſſe Punꝫe und Articul, deren Sie mit einander einig worden, aufzuſetzen, geſtalt Sie denn auch ſolche Vns überreichet, mit gehorſamſter Bitte, ſelbige Kraft habenden Obrigkeitlichen Amts zu beſtätigen.

Wann Wir nun bey deren Verles- und Erwegung hierunter nichts bedenckliches gefunden, ſondern ſolche Ihnen vor nützlich und zuträglich zu ſeyn erachtet; immaſſen dann ſolche von Wort zu Wort alſo lauten:

SOCIETATIS LATINAE LEGES.

I.

SOcietatis Latinae cura omnis, et exercitatio eo pertinet, vt Romanorum conſuetudine quam optime dicatur. Erit autem huius dignitas eo maior, quo vberior eſt fructus, qui ad omnes bonarum artium partes ex ea redundat. Quumque noſtra, pro dolor! aetate maieſtas huius ſermonis barbarorum multitudine fere obruatur: princeps Societatis officium eſto, ſectari ea, quae a perfectis ſcriptoribus Latinis vſurpata reperiuntur.

II.

Partes Societatis, quae veluti membra vnum corpus conſtituant, ſunto: Praeſes Director, Ephorus, qui Societatis ſit ab epiſtolis, Socii honorarii, et ordinarii.

III.

Praeſes ob ſermonis latini peritiam, et ob generis nobilitatem creator, vt meritis ipſius, et auctoritate floreat ipſa Societas.

IIII.

Ex inſtituto autem Praeſes de illuſtriſſima S. R. Imperii Comitum gente creator, niſi ratio ſingularis, contraria

ria ſuadeat: et creator liberrimis, legitimisque Sociorum ordinariorum ſuffragiis.

V.

Vt auctoritate Praeſidis accendantur Socii ad maius romanae eloquentiae ſtudium, Praeſidis eſto: numquam ſine grauiori cauſſa ex conuentu publico abeſſe: id enim ſalus et incrementum Societatis maxime poſtulat.

VI.

Praeſidis acceſſum Ephorus breui et concinna oratione ornato: diſceſſum eius oratione quoque proſequitor, vt cum grata ſingulorum mens, tum iuſtum eius deſiderium, indicetur. Gratulatio autem, et grati animi teſtificatio a Praeſide breui reſponſione excipitor.

VII.

Scripta Praeſidis, ſi qua communis vtilitatis, et ſplendoris gratia tradantur, ſeruantor ab Ephoro, vt aliquando cum ceterorum commentationibus in lucem emitti poſſint.

VIII.

Leges, cum ſigillo Societatis, Praeſidi, quum primum recipitur, ab Ephoro publice traduntor. Si vſum eorum tempus poſtulet, allegator ad eum, qui a tabulis eſt Societatis, vt de iis ipſum adpellet.

VIIII.

Nemini, neque honorario, neque ordinario Socio litteras, quibus ii, reliquorum voluntate, in collegium cooptantur, ſcribuntor, niſi quas ſigno gentis ſuae impreſſo, ſua manu Praeſes ſubſcripſerit, quaeque annulo Societatis conſignatae fuerint.

X.

Nulla res grauior, inſciente aut inuito Praeſide, tractator.

 XI.

XI.

Ab diſceſſu ſuo Praeſes principem locum inter Socios honorarios ſeruato.

XII.

Societatis Director ex florentiſſimae huius Academiae Profeſſoribus, liberrima, legitimaque ſuffragatione, legitor. Elicito autem inprimis ſuffragia eloquentia publici eius doctoris.

XIII.

Vt Directoris, et latinae linguae aeſtimatoris ſtudio, atque eruditione Societatis ſplendor creſcere poſſit, numquam, niſi rebus grauioribus retentus, ex conuentu publico ipſe abeſto.

XIIII.

Primum eius officium eſto, limam adhibere ad ea accuratiorem, quae vel prorſus non animaduerſa, vel perperam a Sociis notata ſunt.

XV.

Nulli Sociorum ius eſto, inſciente aut nolente eo, quidquam ſuſcipere, quod ad Societatis rationes pertineat.

XVI.

Niſi ſua manu litteris, quibus in Societatem cooptantur Socii, vel honorarii, vel ordinarii, nomen ſubſcripſerit, nullae iis publice dantor.

XVII.

Commentationes publicas Societatis, addita praefatione aliqua, commendato lectoribus.

XVIII.

De iuſta, et germana ſcribendi ratione, quam orthographiam vocant, cenſeto.

XVIIII.

Neque tandem ſibi ipſi, aut dignitati Societatis deerit,

erit, quo minus quaedam eloquentiae ſuae, atque eruditionis documenta iis addat, quae ab ceteris commentata in lucem emittuntur.

XX.

Vt Directoris frequens occupatio, vt ſtudium ardens aliqua ex parte ſubleuetur; quotannis ipſi honorarium, quantum Latinae Societatis aerarium patitur, ſoluitor.

XXI.

Vt in ceterorum, ſic in Ephori electione, ſint omnia Sociis ſolutiſſima, et libera: quo eum huic muneri praeficere poſſint, qui, et eloquentia, et rerum diuinarum, humanarumque cognitione, ceteris antecellat. Creator autem is Ephorus, qui, in Academia degens, Magiſtri, vel Doctoris honoribus decoratus, artes liberales profiteatur.

XXII.

Litterae, quibus in collegium cooptantur Socii honorarii, vel ordinarii, vt Praeſidis, et Directoris, ſic etiam huius manu, ſubſcribuntor.

XXIII.

Abſentis Directoris partes ſuſtineto.

XXIIII.

In diiudicandis aliorum ſcriptis Socios ordinarios ſequitor.

XXV.

Ab Ephoro Praeſes, et Director, manus capeſſentes, ſalutantor. Abeuntes oratiuncula poſtremum ab eo compellantor.

XXVI.

Ephori eſto, de ortu Academiae ſolemniter quotannis pro concione litterata dicere. Si per impedimenta grauiora id non poſſit; libero delectu id deferatur vni ex Sociis ordinariis.

XXVII.

Ad Ephorum aerarii, epiſtolarum, reliquorumque ſcriptorum adſeruatio, Bibliothecae item cura, pertineto.

XXVIII.

Sexto quoque menſe Ephorus tabulas accepti, et expenſi in conuentu Sociorum proferto, cumque ipſo, et eo, qui a litteris eſt Societatis, ratio putator.

XXVIIII.

Ephorus, prouinciam hanc ſuſcipiens, a Socio legitime lecto, ſalutator. Deponens eam, oratione gratam mentem teſtante, ornator. Huic humane ipſe reſpondeto.

XXX.

Eiusdem eſto, commentationes quasdam de ſuo, ad Sociorum ſcripta exornanda, iis adiungere.

XXXI.

Qui eſt ab epiſtolis Societatis, de numero Sociorum legitime legitor: atque is quidem, qui, et moribus commodis, et egregia dicendi facultate, floreat.

XXXII.

Ab ipſo colliguntor ſpecimina eloquentiae, et Ephoro traduntor.

XXXIII.

Quae cuique Sociorum ſint diſputanda, quatuor et decem diebus ante, ipſi indicito.

XXXIIII.

De ſoluendo ex legibus argento tempeſtiue compellato Socios. Commercium litterarum diligenter adminiſtrato. Litteras vltro, citroque mittendas, aut acceptas, recitato. Eo tandem diſpicito, vt ſancte leges ſeruentur.

XXXV.

Si is officio litterarum non rite fungatur, aut ſi iure negli-

negligentiae accuſari poſſit, abrogator ei munus, et traditor digniori.

XXXVI.

Iuſſu Praeſidis aut Directoris, aut Ephori, conuentum Sociorum extraordinarium indicito.

XXXVII.

Vt grauitas occupationum leuetur, immunis eſto ab ſumtibus. At officium dicendi, et diſputandi cum ceteris habeto commune.

XXXVIII.

Sociorum honorariorum, qui dignitate, amplitudine, et litterarum latinarum ſcientia praeſtant, ſit legitima, et ſociis ſolutiſſima electio.

XXXVIIII.

Quae memoratu digna in Societate acciderunt, poſt dimidium anni ſpatium, ille, qui eſt ab epiſtolis Societatis, Sociis honorariis abſentibus annuntiato.

XXXX.

Si quis Sociorum ordinariorum ad quemdam dignitatis gradum adſcendat, aut munus capeſſat academicum, illum Societas, re ipſi ſignificata, pronuntiabit Socium honorarium: ea tamen conditione, vt per duos annos Societati doctrinae ſpecimina mittat; his annis vero elapſis, gloriam et incrementum Societatis ſcriptis ſuis augere, eius arbitrio relinquitor.

XXXXI.

Quemlibet Socium honorarium, quum primum ingreditur Societatem, Ephorus breui oratione ſalutato, cui Socius honorarius reſpondebit.

XXXXII.

Socii ordinarii, qui vitam in hac Academia degunt, viginti et quatuor ſunto, qui ob latinae linguae, et ele-

 gan-

gantiorum litterarum peritiam, Sociorum ordinariorum ſuffragiis eliguntor. Neque exteris aditus ad Societatem clauſus eſto, ſi humanitatis ſtudia callentes legibus Societatis obtemperent.

XXXXIII.

Die Saturni, hora III. a meridie audita, conueniunto in acroaterio, in quo a duobus Sociis ordinariis duo ſpecimina eloquentiae recitantor.

XXXXIIII.

Speciminum argumenta orationes, obſeruationes criticae, philologicae, hiſtoricae, philoſophicae, emendationes auctorum, librorum recenſiones, epiſtolae, et Poëmata ſunto.

XXXXV.

Solemnes orationes ſemper, ceterae vero, quantum fieri poteſt, memoriter pronuntiantor.

XXXXVI.

Cuius eſt, libellum legere, in conuentu mature adeſto: ſi vero conſtituto tempore praeſto non fuerit, duo nimos, quos thaleros adpellamus, ſoluito: ſi morbo, aliisque grauioribus cauſſis impediatur, illum, qui Societatis eſt ab epiſtolis, certiorem de illa re facito, eique libellum ſuum tradito, vt in Societate abſentis nomine recitetur.

XXXXVII.

Si Socius ordinarius tanta eſſet animi leuitate, vt ſine grauiſſimis, et indicatis cauſſis, conuentui intereſſe negligeret, ſedecim groſſos, quos vocant, pendito.

XXXXVIII.

Omnia vocabula, et dicendi formulae, ſi qua dubitatio incidat, probantor auctoribus aureae, quam vocant, aetatis: neque tamen ſcriptores argenteae aetatis plane reiiciuntur, ſed omnino ad excuſanda ea, de quibus dubitatur, valento.

XXXXVIIII.

XXXXVIIII.

Per totum tempus, quo conuentus agitur, nemini Sociorum aliis, ac puris, latinisque verbis, vti, ius eſto.

L.

Ex omnibus ſpeciminibus, barbarae, peregrinae, et nullius auctoritatis voces plane proſcribuntor.

LI.

Quod ad iuſtam ſcribendi rationem attinet, ea ſectantor Socii, in quibus Cellarius, Schurzfleiſchius, et Dausquius inter ſe conueniunt: reliqua Directoris relinquuntor arbitrio.

LII.

Director, Ephorus, et Socii ordinarii ſemper, quum emandantur ſpecimina, praeſto ſunto.

LIII.

Ad ſempiternam conditae Societatis memoriam, quotannis Sociorum aliquis, quem reliqui voluerint, orationem ſolemnem habeto.

LIIII.

Qui in numerum Sociorum ordinariorum recipi cupit; ille quatuor et decem diebus ante, ſpecimen ei, qui eſt ab epiſtolis Societatis, tradito: interea ſemel ſaltim Societati intereſto. De moribus, et ſtudiis Candidati, Socii, et in primis Director, et Ephorus diligentiſſime inquirunto.

LV.

Si nouus ſit Socius eligendus, liberis id fiat ſuffragiis Praeſidis, Directoris, Ephori, et Sociorum ordinariorum. Tum, in Societatem illum cooptatum eſſe, qui eſt Societatis ab epiſtolis, ipſi indicato.

LVI.

Si plurimi Sociorum ordinariorum Candidati electioni intercedant, electio irrita eſto.

LVII.

LVII.

Nouus Socius oratione auſpicium facito, cui vnus ex reliquis breui reſpondeto.

LVIII.

Si quis Sociorum ex Academia noſtra diſcedere conſtituerit; orationem, qua Vale ſupremum dicat, habeto: cui reliquorum aliquis reſpondeto.

LVIIII.

Socium abeuntem Societas carmine ornabit: quod etiam fiet, ſi Praeſes, Director, Ephorus, ceterique Socii, bonores adſequantur nouos.

LX.

Socium, qui facinus turpe perpetrare in animum induxit, ex coetu ſuo eiicere, Societati ius eſto.

LXI.

Scripta, quae ſacris voluminibus, legibus academicis, boneſtati, et bonis moribus repugnant, numquam in Societate leguntor.

LXII.

Socii in amplo ſemper acroaterio conueniunto: in quo etiam libri Societatis cuſtodiuntor.

LXIII.

Quilibet Socius, et quum ad Societatem accedit, et quum ſe ab illa ſeiungit, librum, pure latineque ſcriptum, in Bibliothecam Societatis inferto.

LXIIII.

Quum primum quis in numerum Sociorum ordinariorum cooptatur, duo thaleros in aerarium dato. Singulis menſibus vero ſinguli Socii ordinarii octo groſſos ſoluunto.

LXV.

Sigillum Societatis imago Ciceronis eſto: adſcriptis: M. T.

M. T. CICERO COS. additis quoque iis: HOC DVCE.

LXVI.

Ille, qui Societatis eſt ab epiſtolis, omnium rerum, quae in Societate euenient, commentarios latine accuratiſſime ſcribito.

LXVII.

Vt cum Societate Germanica, quae hic floret, intima ſemper amicitia colatur, omnes Socii ſtudioſe, diligenterque curanto.

LXVIII.

Nouas leges, Academiae auctoritate, ſcribere, Sociis ordinariis ius eſto. Obſcuriores interpretantor.

LXVIIII.

Leges hae, poſt tres menſes elapſos, a Socio, qui eſt ab epiſtolis Societatis, in concione publica recitantor.

LXX.

Summi numinis gloria, et Societatis ſalus ſuprema lex eſto.

Chriſtophorus Georgius Ziegenhornius, *Curonus.*
Adolphus Erneſtus Krumpbein, *Gothanus.*
Iohannes Chriſtianus Goeckelius, *Iſenacenſis.*
Wolffg. Chriſtophorus de Trebra, *Eques Saxon.*
Alexander de Sinclaire, *Equ. Scot. Britann.*
Chriſtophorus Fridericus Brauer, *Diepholta - Hannoueranus.*
Iohan. Godofr. Engelhardus, *Muhlhuſa - Thuringus.*
Godofredus Lutterothius, *Thuringus.*
Albertus Chriſtian Carolus Hertzog, *Aurico - Friſius.*
Dauid Henr. Brauerus, *Diepholta - Hannoueranus.*
Henricus Wilhelmus Schendering, *Ieuera - Friſius.*

Als

Als confirmiren und beſtättigen Wir hiemit Obrigkeitlichen Amts wegen, vorgemelte Articul und Puncte, und wollen, daſs dieſelben von ihrer Geſellſchaft, und deren Mitgliedern gehalten werden ſollen, geſtalt Wir ſie dann dabey iederzeit zu ſchützen nicht ermangeln werden; doch hat die Lateiniſche Geſellſchaft, gleichwie die in der Teutſchen zu thun verbunden, bishero auch gethan haben, die Epiſteln, Carmina und andere Edenda zuvor gegen Erlegung der gewöhnlichen Cenſur-Gebühren dem iedesmaligen Profeſſori Eloquentiae et Poëſeos zur Cenſur zu überreichen, auch ſich keines rothen Siegels zu bedienen.

Wir behalten Vns aber dennoch bevor, vor Vns und Vnſere Amts-Nachfolgere, ſothane Geſellſchaft, und derſelben aufgeſetzte Articul zu mehren, zu vermindern, zu ändern, oder gar aufzuheben und abzuthun.

Zu deſſen Vrkund iſt ſolches unter der Vniverſität Inſiegel, und meiner, des iezigen Prorectoris Vnterſchrift ausgefertiget worden. So geſchehen Iena den 4. Iunii, 1734.

(L. S.)

FRID. ANDR. HALLBAVER,
ACAD. IENENS. h. t. PRORECT.

IN-

INDEX

ILLVSTRISSIMORVM SOCIETATIS LATINAE PRAESIDVM.

I.) HENRICVS VIIII, Comes Ruthenus, Iunioris Lineae.

II.) WOLFFGANGVS RICHARDVS HONORIVS, S. R.I. Comes ab Auerſperg, Dynaſta in Purgſtall. rel.

III.) AVGVSTVS WILHELMVS, S. R. I. Comes ab Hohenloe et Gleichen.

INDEX

EXCELLENTISSIMORVM SOCIETATIS LATINAE DIRECTORVM.

I. IOH. HENRICVS KROMAYERVS, Philoſophiae in Academia Ienenſi Profeſſor Publ. Ord. qui virtute et doctrina celebratiſſimus, d. XVIII. Iul. A. O. R. cIↄ Iↄcc xxxIII. vitam cum morte commutauit.

II. D. FRIDERICVS ANDREAS HALLBAVERVS, Eloquentiae hucusque, et Poëſeos, nunc ſanctioris diſciplinae Profeſſor Publicus Ordin. Sereniſſimi Ducis Iſenacenſis a conſiliis eccleſiaſticis, ciuium Gothanorum atque Altenburgenſium in Academia Ienenſi Inſpector.

INDEX

GRAVISSIMORVM SOCIETATIS LATINAE EPHORORVM.

I. GEORG. LVDOVICVS HERTZOGIVS, Philoſophiae, Iuriumque Doctor et Profeſſor Publ. extraord. in Aca-

Academia Ienenſi, qui A. R. S. cIↄ Iↄcc xxxvii. diem obiit ſupremum.

II. CHRISTIANVS HENRICVS ECKHARDVS, Quedlinb. Iuris Vtriusque Doctor.

INDEX

EORVM, QVI SOCIETATIS AB EPISTOLIS FVERE.

I. CHRISTOPHORVS GEORGIVS ZIEGENHORNIVS, Curonus.

II. IOH. CHRISTIANVS GOECKELIVS, Iſenacenſis.

III. IOH. IACOBVS SCHWARTZIVS, Auguſtanus.

IIII. CHRIST. HENR. ECKHARDVS, Quedlinburgenſis.

V. FRID. AVGVSTVS REICHARDVS, Gothanus.

VI. CASPAR KREZIVS Auguſtanus, Sueuus.

VII. IOH. FRID. BONHOEFFER, Halenſis.

VIII. HENRICVS FRID. MICHAELIS, Gothanus.

VIIII. IOH. CHRIST. SCHMIDIVS, Rügland. Francus.

X. IOH. MARCVS SPAETHIVS, Pappenheimenſis, Societatis noſtrae hoc tempore ab epiſtolis.

INDEX

MEMBRORVM SOCIETATIS LATINAE HONORARIORVM,

ORDINE CHRONOLOGICO CONSCRIPTVS.

GEORG. LVDOVICVS HERTZOGIVS, Philoſ. Iuriumque Doct. et Prof. extraord. in Academia Ienenſi quondam meritiſſimus, Collegii noſtri Conditor, atque Ephorus.

HEN-

HENRICVS VIIII. Comes ex Illuſtriſſ. Ruthenorum gente, qui, quum per aliquod temporis ſpatium meritiſſima cum laude Praeſidis, quorum primus fuit, prouinciam ornaſſet, menſ. Mai. A. O. R. cIↄIↄccxxxv. ex Academia noſtra diſceſſit.

IOH. HENRICVS KROMAYERVS, Philoſ. Prof. Publ. Ord. Excellentiſſimus, quondam Societatis noſtrae Director.

HENRICVS X. Comes ex Illuſtriſſima Ruthenorum gente, qui vna cum Illuſtriſſ. fratre ſuo, Henrico VIIII. abiit.

GEORGIVS HENRICVS RIESENBECKIVS, Illuſtriſſ. tum temporis Comitum Ruthenorum Ephorus.

PETRVS KVNZIVS, Philoſophiae et liberalium artium in Academia Ienenſi Magiſter.

FRID. ANDR. HALLBAVERVS, diuinioris Scientiae Doctor, et Profeſſor Publ. Ordin. Sereniſſ. Ducis Iſenacenſis a Conſiliis eccleſiaſticis, Ciuium Gothanorum atque Altenburg. Inſpector, Societatis hoc tempore Director Excellentiſſimus.

WOLFFGANGVS RICHARDVS HONORIVS, Comes ac Dominus ab Auerſperg, qui Sociis Honorariis primum adſcriptus, dein vero Praeſidis munere aliquamdiu egregie functus.

IOH. SALOMO BRVNQVELLIVS, Conſil. aul. et Anteceſſor Ienenſis, Göttingae poſtea demortuus.

M. CHRISTIANVS CLODIVS, Scholae antehac Annebergenſis, nunc Zwiccauienſis Rector, Societ. Teut. Lipſienſis Collega.

IOH. IACOBVS SCHAZIVS, Gymnaſiarcha, claſſis ſelectae Director, et Bibliothecae Praefectus perpetuus in Academia Argentinenſi.

IOH. GOTTLIEB HEINECCIVS, Potentiſſimi Boruſſiae Regis a Conſiliis ſanctioribus, Iuriumque in Academia Halenſi P. P. Ord.

Academia Ienenſi, qui A. R. S. clↄ lↄcc xxxvii. diem obiit ſupremum.

II. CHRISTIANVS HENRICVS ECKHARDVS, Quedlinb. Iuris Vtriusque Doctor.

INDEX

EORVM, QVI SOCIETATIS AB EPISTOLIS FVERE.

I. CHRISTOPHORVS GEORGIVS ZIEGENHORNIVS, Curonus.

II. IOH. CHRISTIANVS GOECKELIVS, Iſenacenſis.

III. IOH. IACOBVS SCHWARTZIVS, Auguſtanus.

IIII. CHRIST. HENR. ECKHARDVS, Quedlinburgenſis.

V. FRID. AVGVSTVS REICHARDVS, Gothanus.

VI. CASPAR KREZIVS Auguſtanus, Sueuus.

VII. IOH. FRID. BONHOEFFER, Halenſis.

VIII. HENRICVS FRID. MICHAELIS, Gothanus.

VIIII. IOH. CHRIST. SCHMIDIVS, Rügland. Francus.

X. IOH. MARCVS SPAETHIVS, Pappenheimenſis, Societatis noſtrae hoc tempore ab epiſtolis.

INDEX

MEMBRORVM SOCIETATIS LATINAE HONORARIORVM,

ORDINE CHRONOLOGICO CONSCRIPTVS.

GEORG. LVDOVICVS HERTZOGIVS, Philoſ. Iuriumque Doct. et Prof. extraord. in Academia Ienenſi quondam meritiſſimus, Collegii noſtri Conditor, atque Ephorus.

HEN-

HENRICVS VIIII. Comes ex Illuſtriſſ. Ruthenorum gente, qui, quum per aliquod temporis ſpatium meritiſſima cum laude Praeſidis, quorum primus fuit, prouinciam ornaſſet, menſ. Mai. A. O. R. cIↃIↃcc xxxv. ex Academia noſtra diſceſſit.

IOH. HENRICVS KROMAYERVS, Philoſ. Prof. Publ. Ord. Excellentiſſimus, quondam Societatis noſtrae Director.

HENRICVS X. Comes ex Illuſtriſſima Ruthenorum gente, qui vna cum Illuſtriſſ. fratre ſuo, Henrico VIIII. abiit.

GEORGIVS HENRICVS RIESENBECKIVS, Illuſtriſſ. tum temporis Comitum Ruthenorum Ephorus.

PETRVS KVNZIVS, Philoſophiae et liberalium artium in Academia Ienenſi Magiſter.

FRID. ANDR. HALLBAVERVS, diuinioris Scientiae Doctor, et Profeſſor Publ. Ordin. Sereniſſ. Ducis Iſenacenſis a Conſiliis eccleſiaſticis, Ciuium Gothanorum atque Altenburg. Inſpector, Societatis hoc tempore Director Excellentiſſimus.

WOLFFGANGVS RICHARDVS HONORIVS, Comes ac Dominus ab Auerſperg, qui Sociis Honorariis primum adſcriptus, dein vero Praeſidis munere aliquamdiu egregie functus.

IOH. SALOMO BRVNQVELLIVS, Conſil. aul. et Anteceſſor Ienenſis, Göttingae poſtea demortuus.

M. CHRISTIANVS CLODIVS, Scholae antehac Annebergenſis, nunc Zwiccauienſis Rector, Societ. Teut. Lipſienſis Collega.

IOH. IACOBVS SCHAZIVS, Gymnaſiarcha, claſſis ſelectae Director, et Bibliothecae Praefectus perpetuus in Academia Argentinenſi.

IOH. GOTTLIEB HEINECCIVS, Potentiſſimi Boruſſiae Regis a Conſiliis ſanctioribus, Iuriumque in Academia Halenſi P. P. Ord.

M. IOH. CHRIST. FISCHERVS, ampliſſ. philoſophici ordinis Colleg. in Academia Ienenſi Adi. deſignatus.

IOH. FRIDERICVS WVCHERER, ſanctioris doctrinae Doctor, eiusque et Philoſophiae naturalis in Academia Ienenſi Prof. Pub. Ord. Sereniſſ. Ducis Vinarienſ. a conſiliis ſacris, et ciuium Vinarienſium Inſpector, qui prid. Id. Febr. A. cIɔ Iɔcc xxxvII. pia morte defunctus eſt.

IOH. WILHELMVS LANGIVS, Lippſtadienſis, Philoſophiae Magiſter.

IOH. CHRISTIANVS GOECKELIVS, Iuris Vtriusque Doctor, et Regiminis Iſenacenſis Adſeſſor, qui per annum, et quod excedit, Societatis noſtrae fuit ab epiſtolis.

IOH. IACOBVS SCHWARZIVS, Iuris Vtriusque Doctor, et Illuſtriſſ. Comit. Lippenſ. a conſiliis aulicis, qui, diſcedente Goeckelio, per II. menſium ſpatium Societatis ab epiſtolis fuit.

ALEXAND. DE SINCLAIRE, Eques Scotus, ſummi quondam copiis Potent. Poloniarum Regis, et Electoris Saxoniae Praefecti, Comitis Frieſii Adiutor, hoc vero temporum Sereniſſimorum Principum Anhaltinorum, ex gente Cöthenſi, qui Geneuae ſtudiorum cauſſa commorantur, Ephorus.

M. TOBIAS ECKHARDVS, Illuſtris Gymnaſii, quod Quedlinburgi floret, Rector, qui d. XIII. Decembris A. cIɔ Iɔcc xxxvII. placida piaque morte e vita exceſſit.

CHRISTOPHORVS AVGVSTVS HEVMANNVS, ſanctioris diſciplinae Doct. Philoſ. et Hiſtoriae Litterariae in Academia Georgia Auguſta ordinarius, ſacrarum litterarum vero extraordinarius Profeſſor.

MARTINVS BORCKIVS, Philoſophiae Mag. et Lycei Franckenhuſani Rector.

IOH. MICHAEL HEVSINGER, Illuſtris Gymnaſii Iſenacenſis Director.

IOH.

IOH. MATTHIAS GESNERVS, Eloquentiae, et Poeſeos apud Goettingenſes Prof. P. Ord. Scholarum per Germanicas Potentiſſimi M. Brit. Regis prouincias Inſpector, et Bibliothecae academicae Praefectus.

MATTHIAS BELIVS, verbi diuini Piſonii in Hungaria Praeco, Hiſtoricus patrius, et Societat. Scient. Londinenſis, nec non Berolinenſis, Sodalis.

PHILIPPVS DAVID KRAEVTERVS, Auguſtanus, Artium et Philoſophiae Magiſter in Academia Ienenſi.

M. IOH. VALENT. BRIEGLEBIVS, Auguſti Gymnaſii Goerlicienſis Subrector.

M. HENR. FRID. REISCHAVERVS, Bückeburg. Schaumburgicus, Societatis, quae Cellae eſt, Litterariae Collega.

CHRISTIANVS HENR. ECKHARDVS, Quedlinb. qui munere illius, qui Societatis eſt ab Epiſtolis, egregie functus, ſummosque in Vtroque Iure honores conſequutus Ephori nunc prouinciam ornat.

M. LVDOVICVS SALOMO EYRINGIVS, Illuſtris Baronis de Rotenhan ſtudiorum Moderator, ampliſſ. quoque Philoſophorum ordini in Academia Ienenſi Adſcriptus.

LAVRENTIVS STENZLERVS, ſacrarum litterarum Doctor, Logices et Metaphyſices in Academia Gryphica Profeſſor Regius Ordinarius.

ANDREAS WESTPHAL, Hiſtor. et doctrinae moralis in Academia Gryphica Prof. Regius Ordin. Societ. Scientiarum Berolinenſis Sodalis.

M. CAROLVS HENRICVS LANGIVS, Gymnaſii Lubecenſis Conrector, Societatis, Teutonicae Lipſienſis Collega.

GEORGIVS WILHELMVS OVERKAMPF, linguarum Orient. in Academia Gryphica Prof. P. Ordinarius.

M. GOTTL. FRID. GVDIVS, Diaconus et Catecheta Laubanus.

M. IOH. GODOFREDVS MOERLINVS, Illuſtris Gymnaſii Fridericiani, quod Altenburgi eſt, Director.

M. IOH. CASPAR EBERHARDVS WINECKEN, Illuſtris Gymnaſii Quedlinburgenſis Director.

M. IOH. GOTTWALD STOEPEL, Gymnaſii Isle-bienſis Conrector.

IOH. CHRIST. DECARDVS, Gymnaſii, quod Sem-pronii in Hungaria floret, Rector.

DANIEL. HAYNOCIVS, Gymnaſii Sempron. Conrector.

M. IOH. CHRISTOPHORVS MYLIVS, Bibliothecae Academiae Ienenſis Praefectus, et ampliſſ. Philoſophorum Ordinis Adi. deſignatus.

M. IOH. ALEXANDER DOEDERLINVS, Lycei Weiſſenburgenſis in Noricis Rector, Academiae Imperialis Naturae Curioſ. et Reg. Boruſſ. Scientiarum Societatis Sodalis.

IOH. CHRISTOPH. HAYNISCH, Scholae Schleizenſis Rector.

M. FRID. CHRIST. BAVMEISTERVS, auguſti Gymnaſii Goerlicienſis Rector.

COELESTINVS CHRISTIAN. FLOTTWELL, Philoſophiae in Academia Regiomontana Mag. et Societatis Teuton. Lipſienſis membrum.

WOLFFGANGVS GEORGIVS WELCKIVS, ICtus, Hoſpitiis S. R. I. Praefectus, Auguſtiſſ. Poloniarum Regis, et Electoris Saxoniae Conſiliarius, Illuſtriſſ. S. R. I. Mareſchalli Hereditarii, Comitis Pappenheimenſis, a conſiliis primariis, plurimum venerandi ſacri conſeſſus Praeſes, et curiae, reique Feudalis Director.

M. GEORG. GROSCHIVS, verbi diuini apud Friderici-

cirodenſes praeco, et Dioeceſeos Walterſhuſanae Ephorus.

CAROLVS ANDREAS BELIVS, Matth. filius, Piſonienſis Hungarus, Philoſophiae Magiſter.

LAVRENTIVS REINHARDVS, ſanctioris diſciplinae Doctor, Eccleſiaſtes Vinarienſis, et in Illuſtri Gymnaſio Theol. Hiſtoriarum et doctrinae moralis P. P.

IOH. HENRICVS STVSSIVS, Illuſtris Gymnaſii, quod Gothae eſt, Director.

M. IOH. GODOFR. LESCHNERTVS; claſſis ſelectae in Illuſtri Gymnaſio Gothano Profeſſor.

ELIAS FRIDERICVS SCHMERSAHL, Danneb. Lüneburg. Philoſophiae et liberalium artium Magiſter.

M. IOH. LVDOVICVS HOCKERVS, ſanctioris diſciplinae in Gymnaſio Heillbronnenſi Profeſſor honorarius iuxta, ac diuinae voluntatis interpres, Societatis Reg. Boruſſ. Scient. Collega.

IOH. TOMKA SZASZKY, Gymnaſii Piſonienſis in Hungaria Conrector.

IOH. ERHARDVS KAPPIVS, Eloquentiae in Academia Lipſienſi Profeſſor Publ. Ordinarius.

IOH. LVDOLPHVS BVNEMANNVS, Scholae Hanoueranae Director.

IOH. AVGVSTVS ERNESTI, Scholae Thomanae, quae Lipſiae floret, Rector.

M. SAMVEL SEIDELIVS, Lycei Laubanenſis Rector, et Societatis Teut. Lipſienſis Sodalis.

IOH. FRIDERICVS CHRISTIVS, Poëſeos in Academia Lipſienſi Prof. Publ. Ordinarius.

IOH. PETRVS REVSCHIVS, Philoſophiae primae, et rationalis, in Academia Ienenſi Prof. Publ. Ord.

PHILIPPVS IACOBVS CROPHIVS, P. L. C. Gym-

naſii Annaeani apud Auguſtanos Rector, curandaeque Bibliothecae Praefectus.

GEORG. CHRIST. HALLBAVERVS, Ordin. Philoſoph. in Acad. Ienenſi Adſcriptus, Scholaeque Senatoriae Rector.

GEORG. CAROLVS HERRIVS, cauſſarum apud Altenburgenſes Patronus aulicus.

IOHANNES BARANY, verbi diuini apud Varſadienſes in Hungaria praeco.

CHRIST. HENRICVS HAENELIVS, artis ſalutaris Doctor,

M. CHRISTIANVS GOTTLOB KAENDLERVS, Scholae Sangerhuſanae Rector.

IOH. SAMVEL MVLLERVS, Iohannei Hamburgenſis Rector, Soc. Teut. Lipſ. Collega.

IOH. HENRICVS ZORNIVS, diuinorum oraculorum apud Dietfurthenſes et Schambacenſes interpres, reuerendi ordinis ſacri Pappenheimenſis Senior honorarius, et Senatus eccleſiaſtici Adſeſſor.

IOH. PHILIPPVS CROLLIVS, Gymnaſii, quod Biponti floret, Rector et Profeſſor.

MICHAEL RICHEY, Graecae linguae, et Hiſtor. in Gymnaſio Hamburgenſi Profeſſor Publ.

HERM. SAMVEL REIMARVS, linguarum Orientalium in Gymnaſio Hamburg. Prof. Publ.

IOH. DIETER. WINCKLERVS, Philoſophiae rationalis, et Eloquentiae in eodem Gymnaſio Prof. Publ.

IN-

INDEX
SOCIORVM ORDINARIORVM.

CHRISTOPHORVS GEORG. ZIEGENHORN, Curonus, Societatis per aliquod tempus ab epiſtolis.
ADOLPHVS ERNESTVS KRVMPBEIN, Gothanus.
IOH. CHRISTIANVS GOECKELIVS, Iſenacenſis, Societatis noſtrae aliquamdiu ab epiſtolis.
WOLFFG. CHRISTOPHORVS DE TREBRA, Eques Saxon.
ALEXANDER DE SINCLAIRE, Eques Scot. Brittan.
CHRISTOPH. FRID. BRAVERVS, Hanoueranus.
IOH. GODOFREDVS ENGELHARD, Muhlhuſ. Thuringus.
GODOFRED. LVTTEROTHIVS, Muhlhuſ. Thuring.
ALB. CHRIST. CAROLVS HERTZOGIVS, Auric. Friſius.
DAV. HENRICVS BRAVER, Hanoueranus.
HENR. WILHEL. SCHENDERING, Ieuer. Friſius.
CHRISTIANVS HENRICVS HAENELIVS, Annebergenſis
IVLIVS FRIDERICVS DE KESSENBRINGK, Eques Pomeranus.
CHRIST. HENRICVS ECKHARDVS, Quedlinburg.
IOH. WILHELM. LANGIVS, Lippſtadienſis.
IOH. IACOBVS SCHWARZIVS, Auguſtanus, Societatis noſtrae aliquamdiu ab epiſtolis.
GEORG. WILHELM. HAVTHIVS, Bipontinus.
IOH. VALENTINVS BRIEGLEB, Gothanus.
PHILIPP. DAVID KRAEVTERVS, Auguſtanus.
IOH. THOMAS a SCHEIDLIN, Nobilis et Patricius Auguſtanus.
LIBORIVS ARMBSTER, Kniephuſ. Varelenſis.
IOH. SIGISMVND. SCHNEIDERVS, Auguſtanus.

I. P.

I. P. LIPPISCHIVS, Hungarus.
IOH. CHRIST. BOECLERVS.
HENR. FRID. REISCHAVERVS, Bückeburg. Schaumburgicus.
IOH. ZACHAR. CAPPELMANN, Lippſtadienſis.
FRID. AVGVSTVS REICHARDVS, Gothanus, qui Societatis per aliquod temporis ſpatium fuit ab epiſtolis.
CASP. KREZIVS, qui aliquamdiu Societatis noſtrae fuit ab epiſtolis.
CAROLVS ANDR. BELIVS, Piſonienſis.
IOH. HARTMANNVS a WITZLEBEN, Eques Thuring.
CAROL. LVDOV. SCHMIDIVS, Saaraepontanus.
HENR. FRID. MICHAELIS, Gothanus, qui per annum, et quod excedit, Societatis noſtrae ab epiſtolis fuit.
IOH. FRID. BONHOEFFER, Halenſis, Sueuus, Societatis noſtrae aliquamdiu ab epiſtolis.
IOH. THEOD. LVDOVIC. SCHMIDIVS, Bipontin.
IOH. CHRISTIAN. SCHMIDIVS, Rügland. Francus, qui fuit Societatis ab epiſtolis.
ELIAS FRID. SCHMERSAHL, Danneberg. Lüneb.
ALB. WILH. MODELIVS, Windshemienſis.
IOH. MARCVS SPAETHIVS, Pappenheimenſis, Societatis hoc tempore ab epiſtolis.
IOH. BVRANY, Hungarus.
IOH. PHILIPPVS HAVTHIVS, Bipontinus.
IOH. FRID. DANNEIL, Quedlinburgenſis.
IOH. GEORG. GOERING, Iſenacenſis.
CHRISTOPH. CIRCKLERVS, Hirſchberg. Sileſius.
IOH. PAVLLVS REINHARDVS, Vinarienſis.
IOH. FRID. ECKHARDVS, Quedlinburgenſis.
NICOL. IOH. LAVTZIVS, Hamburgenſis.
HENR. WILH. BALLSTAEDT, Gothanus.
IOACH. WEISSENBORNIVS, Erfordienſis.
IOH. CHRISTIAN. BLASHIVS, Gieſmandsd. Sileſius.
CHRISTIANVS FRID. SCHNAVSIVS, Iſenacenſis.

EXER-

EXERCITATIONES SOCIETATIS LATINAE IENENSIS VARII GENERIS.

I. ORATIONES.

I. Chriſt. Henrici Eckhardi, D. *Oratio de Ioh. Friderici gloria, ex Academia Ienenſi illuſtrata.*

II. M. Ioh. Val. Brieglebii *Orat. de potioribus impedimentis eius, quod pulchrum eſt in ſermone latino.*

III. Dan. Haynocii *Oratio panegyrica in obitum Sereniſſ. Principis, Eugenii Franciſci, Sabaudiae ac Pedemontii Ducis.*

IIII. Ioh. Marci Spaethii *Oratio de reprehendenda quorumdam elegantioris litteraturae cultorum cunctatione.*

II. DISSERTATIONES.

I. Ioh. Iac. Schatzii *Diſſ. de latina lingua, ex ſola cum latine loquentibus conſuetudine diſcenda.*

II. Ioh. Mich. Heuſingeri *Diſſ. de peruulgatioribus aliquot erroribus grammaticis.*

III. M. Frid. Chriſt. Baumeiſteri *Diſſ. de ſtudio latinitatis purae et elegantioris diligentius, quam vulgo fit, iuuentuti ſcholaſticae commendando.*

IIII. M. Caroli Henrici Langii *Spicilegium ad Ioh. Vorſtii libellum, de latinitate ſelecta, vulgo vero neglecta.*

V. Alexandri de Sinclaire *Comment. de C. Caeſare Octauiano, Tyranno, et Auguſti nomine indigno.*

III. EPISTOLAE.

I. Chriſt. Aug. Heumanni *Epiſtola, ad Societatem Latinam data.*

II. Ioh. Matth. Geſneri *Epiſtola, ad Chriſt. Henr. Eckhardum, Lat. Societatis Ephorum, exarata.*

III. Matth. Belii *Epiſtola, ad Societatem Latinam miſſa.*

IIII. Dan. Haynocii *Epiſtola, ad Societatem Latinam perſcripta.*

Digitized by Google

I.

ORATIO SOLEMNIS

IO. FRIDERICI GLORIA

EX ACADEMIA IENENSI

ILLVSTRATA

IN

DIEM ACADEMIAE IENENSIS NATALEM

IN

SPLENDIDISSIMO AVDITORVM CONSESSV

AD D. VIII. CAL. APRIL.

ANNO A SOTER. NAT. CIↃ IↃ CC XXXVIIII.

SOCIETATIS LAT. NOMINE

DICTA

A

CHRIST. HENR. ECKHARDO D.

SOCIETATIS LAT. EPHORO.

MAGNIFICE

ACADEMIAE PROR ECTOR

ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITES

PRAESES SOCIETATIS LATINAE SPLENDIDISSIME

PATRES ACADEM. VENERANDI

PRAESTANTISSIMI GERMANICARVM LITTERARVM CVLTORES

SOCII CLARISSIMI SVAVISSIMIQVE

AVDITORES CETERI, NOBILITATE GENERIS, DOCTRINA ET VIRTVTE CONSPICVI.

QVod precati ſumus a Deo immortali ſuperiori anno, vt auſpicatiſſimum huncce diem feliciori ſidere illuſtri huic Academiae redire iuberet; illud ſapientiſſimo eius iudicio comprobatum eſſe, vehementer laetamur, Auditores. Bene habet, rata ſunt vota, quae pro noſtra in hanc Academiam pietate conceptis verbis pro ſempiterna eius incolu-

mitate pura caſtaque mente nuncupauimus: quid? quod votis maiora munera obtigerunt. Et, profecto, ſi hoc ſacrum noſtrum anniuerſarium tantam in ſe habet vim et religionem, quantam habere fas eſt, et noſtra pietas poſtulat; non potuit non haec res bene feliciterque Academiae et Societati latinae euenire. Quotus quisque eſt, qui hanc celeberrimam Muſarum ſedem oculis cernit, quin ſtatim florentiſſimae reipublicae imaginem animo ſibi proponat atque intueatur? Quocunque adſpicimus, luculentiſſima diuinae benignitatis occurrunt veſtigia, clariſſima ſummae felicitatis obſeruamus argumenta. Quid putatis, Auditores, ſi IOANNEM FRIDERICVM, immortalem huius Academiae Conditorem, noſtro aeuo ſingulare quoddam fatum redonaret, quid, inquam, putatis? ſi is vitales ſpiraret auras, et mente oculisque fortunatiſſimum aeterni ſui operis ſtatum coram intueretur, quae forent eius animi ſenſa? quanta eſſet eius laetitia? Verbis haec exprimi poſſe exiſtimatis? ego ne minimam quidem eorum partem vel diſertiſſimi hominis facundiam dicendo conſequi poſſe credo. Recolite, quaeſo, Auditores, iucundiſſimam memoriam illius temporis, quo primum e vinculis dimiſſus IO. FRIDERICVS, terrisque ſuis redditus hanc bonae mentis officinam adſpexit. Noſtis verba, quae ſplendidiſſimus Muſarum aduentus illi exprimebat: quae erant, quae tum ad filium IO. FRIDERICVM, et Lucam Cranachium, germanicum illum Apellem, ex ore eius exibant? * Nonne propenſiſſimam eius in litterarum ſtudia voluntatem luculentiſſime demonſtrant? O quanto iucundius ſpectaculum foret, quanto maiori laetitia exſultaret IO. FRIDERICVS, ſi in noſtrum aeuum delatus huius Academiae felicitatem mente oculisque perciperet, quum tanto ampliorem ad gaudendum materiam iam praeſens eius ſtatus illi praebere poſſet. Linque igitur paulliſper, diuine FRIDERICE, bea-

* Haec: Siehe das iſt Bruder ſtudium.

beatiſſimas, in quibus agis, ſedes, et ex coeleſti illo animorum concilio in TVVM ſanctiſſimum Muſarum ſecede ſacrarium. Vide, quam mirifice ſupremum, quod caſta mente coluiſti, Numen conſiliorum TVORVM ſucceſſum fortunaverit, quantis et quam admirandis fortunae muneribus cumulauerit hanc Academiam. I, fortunatiſſime Princeps, redi in vitam, fructum animo oculisque cape gratiſſimum, et votis vsque ad inuidiam felicibus perfruere. En incomparabilem florentiſſimorum ingeniorum prouentum, quo mirifice exſultat haec Academia, quae quotannis nouas doctiſſimorum hominum colonias non vni ciuitati, non prouinciis quibusdam, ſed vniuerſo paene cultiori orbi ſubmittit. Collegiſti trepidas et fugientes Muſas, iisque difficillimis temporibus tutiſſimum hoc loco praebuiſti perfugium. Quid mirum igitur, ſi poſt tot annorum decurſum adhuc ad illud laetae et bonae ſpei pleniſſimae vndique confluant et concurrant? ſiquidem non adeo ingratae ſunt, vt plane memoriam ſummi beneficii, a FRIDERICO ſibi praeſtiti, deponant, nullamque ipſi gratiam referant. Si quid iudicare poſſum, illam ego maximam Academiae felicitatem duco, ſi liberaliſſimis omnis generis ſtudiis adfluat, homines in quauis arte verſatiſſimos oſtendat, et, quod longe praeſtantiſſimum eſt, optimarum litterarum, quomodocunque ſint, ſtudia bona mente colantur, libere doceantur, non ambitioſe, ingenue omnia, ſine pompa, ſine quaeſtu, ſine oſtentatione. Quorſum haec pertineant, exſpectatis, credo, Auditores: eo ſcilicet, vt ſi omnia haec dona diuinitus noſtrae Academiae tributa eſſe intelligatis, longe florentiſſimum eius ſtatum eſſe iudicetis. Nolo iam per partes ire, et ſingula felicitatis argumenta dicendo illuſtrare, partim, quod vbique fere terrarum illa peruulgata ſunt, partim, quod indiſerti hominis ore non ſatis pro dignitate exornari poſſunt. Sed ex comparatione diſcamus, quam longe praeſtet flore, bonorumque praeſtantia aliis haec Academia: nam quam bene rerum vis ex comparatione demum cernatur, non ignoratis,

Auditores. Si quis eſt, qui paullo diligentius cogitauerit res Academiarum, quotquot illarum Germania fouet, et eas, quae purioribus diuini cultus doctrinis florent, cum illis, quae Pontificiorum ſacris initiatae ſunt, contenderit, quid, quaeſo, ſubductis rite rationibus vniuerſis faciat iudicii? Nonne animaduertit, ibi feliciter litteras omnes efflorescere, hic iacere paene proſtratas, ſi non omnes, meliores tamen: ibi ſummam litteris operantium frequentiam eſſe, hic eam deſiderari, et ſolitudinem fere videri: ibi vigere maxime libertatem ingeniorum, hic illam exſulare: ibi ſanctiorem diſciplinam emendatam coli, hic peruerſis erroribus inquinatam eſſe: ibi iurisprudentiam tum publicam, tum priuatam, omnibus ornamentis et praeſidiis ornatam eſſe, hic eam adulandi libidini ſeruire, et ad Pontificis nutum adcommodari: ibi ſane et libere homines philoſophari, hic impotentis Stagiritae praecepta, veluti oracula, dominari, immo totam philoſophiam doctis ſcholaſticorum, vt vocant, ineptiis infucatam eſſe: ibi denique eloquentiae et cultiorum litterarum ſtudia in luce ſita eſſe; hic frigere, aut certe vitiata eſſe, et longe a veteri ſplendore et dignitate recedere. Atque ita eſt omnino. Laetior et felicior eſt ſtatus Academiarum, quae melioribus ſacris addictae ſunt, antecedunt aliis rerum proſperitate, et palmam reliquis praeripiunt. Quid, ſi FRIDERICO hoc iure tribuendum eſſe exiſtimem? nonne tum certiſſimum eſt, immortalem hanc gloriam FRIDERICVM meruiſſe, vt optimi feliciſſimique Academiarum ſtatus auctor dicatur, percepiſſe eum gloriae, quem petebat, fructum, vt reſtitutis Muſis otio et dignitati, creſcerent diuinioris ſcientiae vires. Inſigniter, aliis academiis ad ſummam felicitatem FRIDERICI exemplum profuit. Prima enim eſt haec Academia, quae ſanctioris diſciplinae, ſordibusque purgatae, cultum accepit, et ad tuendam illam conſeruandamque vnice condita eſt. Nulla euocata ſunt ſacra, nulla ſublata vetera, quum haec ſedes litteris conſecraretur, ſed cum ipſis ſacris purioribus Muſae in hunc locum commi-

migrarunt. Num quid Pontifex ſibi arrogare poteſt ex laude iſta? excluſus eſt ex huius gloriae ſocietate. Num iuribus ornauit? immunitatibus donauit? minime. Tanto illuſtrius, tantoque magis hoc omni aeuo commemorandum eſt, quod pulcherrimi huius operis gloria ſoli FRIDERICO cedat, nihil quidquam huic Academiae Pontifex addiderit, nihil in ea ſibi ſuoque iuri adſcribere poſſit. Diuino itaque fato factum eſt, vt ipſa origo ſingulare quid haberet, vt ex ea, quanti futura eſſet in poſterum, liqueret, et omnibus palam fieret, ad amplificandam et religionis et litterarum dignitatem vnice eam factam eſſe. Fuit, fuit, inquam, Auditores, quo Romanus Pontifex ſ[illegible]us circa bonarum artium domicilia eſſe contendit, quaſi ex eo, tanquam ex tripode Pythii Apollinis, litterarum fata acciperentur. Non difficile erat in tanta temporum barbarie gentibus imponere, iisque perſuadere, per Pontificem litteras florere, per eum Muſas omnes viuere et ſpirare, quas artes valere, quas non coli et proſcribi oporteat, eius iurisdictionem eſſe. O effrenatam audaciam! in litteras ipſas imperium adfectare velle, et auctorem ſe omnis diuinae humanaeque ſapientiae iactare. Nolite quaerere, Aud. quo animo in vulgus haec opinio edita ſit, et ne vos fallant rationes longe arceſſitae, quae pro tuendo hoc iure adferuntur. Falſae enim ſunt, et dudum experientia cognitum et probatum eſt, non adeo ingenue cum ſuis agere ſupremum ſacrorum Praeſulem, vt candide veram animi ſui ſententiam expromat. Quid ſi dixero, metuiſſe illum ſuae potentiae a litteris, et vt priuatae vtilitati conſuleret, hoc feciſſe? non puto me coniiciendo a vera ſententia aberrare. Nouerat Pontifex nocere ſibi quasdam litteras, id quod ſatis olim a nobis probatum memini. Quod quum ſit veriſſimum; ipſum ſane potentiae ſuae conſeruandae ſtudium hoc Pontificibus ſuaſit, vt nihil facerent reliqui, quo penes ſe eſſet arbitrium ſtatuendi, quam litterarum conditionem eſſe oporteat. Sic effecerat Pontifex, vt in condenda Academia ſua roganda eſſet ſententia, ſua

opus eſſet auctoritate atque confirmatione. Efflagitarunt illam Erfurtenſis, Tubingenſis, Ingolſtadienſis, Francofurtenſis, Lipſienſis, celebres Germaniae Academiae. Quis vero ſtatus tum illarum fuerit, quomodo cultae in illis litterae ſint, facile eſt ad intelligendum: non optimam ſane illarum conditionem fuiſſe, ſatis loquuntur aeui iſtius annales. Quid proficiant enim Academiae, ſi fata illarum nutu et renutu aliquis temperat, qui rerum ſuarum incertus docendi artes libertatem circumſcribit, qui modum ponit ingeniis, ne in lucem proferant veritates, quae ipſius poteſtati exitio ſint. Parum praeſtant Muſae, adſtrictae imperio, et conticeſcunt, ſi minaci vultu tyrannus inſtat, imperio immunes eſſe volunt et liberae. Diu ante, quam hoc conditum eſt Prytaneum, celebrabantur Academiae: erat Erfurtenſis, erat Tubingenſis, erat Lipſienſis, erant plures aliae, a quibus nihil periculi rebus Pontificis accidit, quippe, ne luminibus ipſius officere poſſent, diligenter iam erat prouiſum. Singulari itaque ſummi Numinis prouidentia haec gloria noſtrae Academiae reſeruata eſt, vt profligatis ſacris, ſuperſtitione infectis, emendatae religionis dignitatem ſtrenue defenderet: id quod eo felicius ceſſit, quo magis ad eum finem conſilia omnia eius, quem auctorem ſtatoremque veneratur, referenda eſſe probabo. Quod ſi factum non per ſe et vti eſt, ſed ex conſilii rationibus, ex quibus profectum ſit, metiri debemus, et ab eo maxime aut laudem habet, aut dedecus ducit; nulla ſane amplior, nulla illuſtrior laus eſt, quam illa, quae inde in IO. FRIDERICVM redundat. Variae ſunt cauſſae, ob quas Academiae conſtituuntur, et complures, eaeque honeſtiſſimae rationes, quae incitare Principes poſſunt ad erigenda in ſuis terris bonarum artium domicilia. In omnibus conſiliis honoris et pecuniae rationes primarum ſemper partium ſunt, quidni etiam in Academiis conſtituendis? Tanta ſane ſunt illarum commoda, vt ea optimus quisque Princeps non parui pendat. Important opes diuitiasque, ciues alunt et locupletant, eorum animos com-

componunt et mores emendant, ſummam omnium rerum adfluentiam pariunt, ornant oppida, aeternamque nominis celebritatem conciliant, et auctores ſuos in omne aeuum dant ſacratos. Haec non moueant Principes, vt curam erigendae bonae mentis ſedis ſuſcipiant? quae magnis conatibus peropportuna ſunt, quae principia magnarum rerum eſſe nouimus, quae ipſa in animo habuerunt, quotquot de conſecrando Muſis domicilio cogitarunt. Celari ſolent magno ſtudio verae rerum cauſſae, non facile inſpiciuntur, quia multae ſunt animorum latebrae et magni receſſus. At hoc tanto adcommodatius eſt ad FRIDERICI noſtri gloriam; quanto magis noſcenda famae propoſita eſt cauſſa conditae ab eo huius Academiae. Sciunt omnes, quotquot rerum a tanto Principe geſtarum non plane incurioſi aut ignari ſunt, numquam FRIDERICVM ſpes ſuas ambitioni donaſſe. Forſan hoc fecit, inquis, quum huius condendae Academiae conſilium cepit. Neſcis, ſane neſcis, quid illum mouerit, quo in ſtatu tum res FRIDERICI fuerint, ignoras: non hoc cadit in eius mores, pudorem, animum excelſum, in vitam eius omnem ſanctiſſimam integerrimamque. An is, qui nihil in vita ſibi expetendum ſtatuebat, niſi quod cum virtute et ſolida gloria coniunctum erat, vanarum rerum laude moueretur? non contemneret magno animo inhoneſtas conſilii rationes, qui aequo animo bonorum ampliſſimorum iacturam tulerat? num vllam cogitationem habuiſſe credibile eſt, aut gloriae, qua abunde iam florebat, ad ambitionem, aut opum, quas nec concupiſcebat, et fluxas eſſe nouerat, ad habendi cupiditatem? num denique illi, qui ſe pro ſalute coetus, ſanctioribus ſacris imbuti, vitam, dignitatem, fortunasque omnes tot periculis obiecit, aliud praeter conſeruationem religionis propoſitum fuiſſe videatur in fundanda hac Academia? Nae omnia haec ita comparata ſunt, vt neminem dubitare patiantur, ſolum conſeruandae religionis ſtudium condendae Academiae mentem FRIDERICO inieciſſe. Sed ſunt alia longe maiora. Vidiſti, TV Mulber-

ga, FRIDERICVM fortiter pugnantem, at quam ob cauſſam? nonne pro aris et ſacris, pro defendenda religione? ob eam rationem, et vt imminentes gladiorum mucrones a ſuorum, religionis cauſſa foederatorum, iugulis reiiceret, gladium eduxit. Pugnat ſtrenue, vincitur, quamquam non tam hoſtium virtute, quam amicorum perfidia et inſidiis, armis exuitur et nobiliſſimum in facie vulnus oſtentans in cuſtodiam rapitur. Diuino omnia numine haec facta eſſe quis non videat? vt et magis exſplendeſceret diuina FRIDERICI in tam dubiis rebus virtus, magisque illuſtraretur gloria ſummi Numinis, quod poſtea ita haec omnia moderatum eſt, vt et in FRIDERICI gloriam et in religionis ſalutem cederent. Auffertur illi dignitas ſeptemuiralis ſplendida et glorioſa, et in alterum iniquo, et in Germania inaudito fere exemplo transfertur, terrae et fortunae eripiuntur, intrepide haec omnia ſpectat FRIDERICVS, et excelſo animo iniquae fortunae ludibria ſpernit. Hunc TV, Caeſar, terreto mortis minis, vt ſacra repudiet, aut interimiſticam fidei, vt aiunt, formulam amplectatur. Fruſtra es: non movetur, non expaueſcit ad feralem capitis ſententiam. Sic FRIDERICO vinculis conſtricto, et fortunae iniuria deiecto tamen diuina animi conſtantia eripi nequit, non curae, non vigiliae, non conſilia, quibus religio in hunc vſque diem inuicto ſtetit, aufferri poſſunt. Vana et caduca omnia eſſe, quae prima inter mortales putantur, FRIDERICVS didicerat, ſpeque illorum abiecta, religionis curam non prius, quam cum vita deponere decreuerat. Circumſpiciebat praeſidia et ſtabilimenta, quibus meliores diuini cultus doctrinae firmarentur. Cepit igitur conſilium primo ſtatim, quo captus erat, anno, dedicandi Muſis et purioribus ſacrorum doctrinis domicilium. Vnde haec animi inductio? vnde haec conſilii firmitas? niſi Dei immortalis nutu hoc ita prouiſum ſit, neſcio, quum illud paene oculis videre poſſimus, et vix videatur humani conſilii, tantae rei cogitationem ſuſcipere in vinculis, abſentem ſine opibus, ſine viribus et praeſidiis, tantae rei neceſſariis. Scie-

Sciebat prudentiſſimus Princeps, ingens ad religionis conſeruationem in litteris praeſidium poſitum eſſe, quas ipſas ad reſtituenda ſuae integritati ſanctitatique ſacra multum profuiſſe nouerat. Accedebant alia. Videbat magnum verſari furorem aduerſus emendatae religionis cultores, noua miſceri, et quaeuis in illos mala concitari. Praeterea in diſcrimen adducta videbatur religionis ſalus, excogitata interimiſtica, vt vocatur, ſacrorum formula, quae monſtrum alebat, et in perniciem noſtrae religionis callide comparata erat. Wittebergenſe Athenaeum ereptum erat. Carere bonae mentis officina, nec litterarum amor, nec religionis ſtudium FRIDERICI patiebatur. Quid ergo? Conuocari iubet Muſas vagas et diſſipatas, iisque ſedem hic dulciſſimam, quam ſponte ipſas inuitare credebat, deſignari. Atque ſicglorioſa huius Academiae iecit fundamenta. Damnatur voti ſui FRIDERICVS, et vidit cepiſſe ſe fructum vigiliarum ſuarum vberrimum, et comprobari DEO vehementer ſua in litteras religionemque ſtudia, ex laetiſſimo rerum ſucceſſu, et ex inſigni Muſarum ad nouum hoc Prytaneum concurſu, iudicauit. Quibus verbis rogauit filios? quanto ſtudio illis commendauit curam recens conditae Academiae, vt rogata Caeſaris confirmatione, rogatisque Academiae iuribus decus auctoritatemque illi conciliarent, quum ipſe conſequutus non eſſet, vt viuo ſe auctoritate muniretur, iuribusque ornaretur, tanto profecto, vt nihil ſibi hac re magis in vita curae cordique fuiſſe, declararet? Abſolutis iis, quae coepto omni aeuo digniſſimo operi deeſſe videbantur, et impetratis a Caeſare priuilegiis ſolemnibus omnibus, quae tantae rei magnitudo requirit, inter fauſtiſſimas adclamationes et in iucundiſſimo piorum votorum concentu hoc illuſtre bonarum artium domicilium aeternitati dedicatum eſt. Veniant nunc obtrectatores huius Athenaei, et iam vel ipſi iudicent, an aliud quidquam IO. FRID. cogitauerit praeter emendatae religionis conſeruationem, quam finem eius praecipuum in fundanda hac Academia fuiſſe, tot lu-

luculentiſſima argumenta loquuntur. Dicant gloriae parandae cupidinem illum exſtimulaſſe, priuatis vtilitatibus inſeruiiſſe, nugentur: vox haec non veritatis eſt, ſed odii, ſed maleuolentiae. Non praeclarius FRIDERICVS de religionis cauſſa mereri potuiſſet, non magis conſulere poſteritati, quam hac ipſa condita Academia, qua nullum praeſidium firmius puriorum ſacrorum ſtabiliri, nullum propugnaculum fortius aduerſus hoſtium impetus opponi potuiſſe, euentus comprobauit. Floruit namque ſemper hic illibata religio, vti diuinitus integritati ſuae *Lutheri* opera reſtituta eſt, aluit numquam non haec ſedes praeſtantiſſimos diuinioris ſcientiae vindices, qui voce et ſcriptis Pontificis tyrannidem oppugnarunt, et immortaliter de religionis ſalute meruerunt, quorum opera poſt diuinam benignitatem ſarta tectaque conſeruata eſt, et in hunc vſque diem inconcuſſa et intemerata ſtetit. TV, DEVS immortalis, fac, vt in poſterum vigeat et floreat, et recipe porro in ſinum TVVM hanc illuſtrem diuinae humanaeque ſapientiae ſedem, vt ad futura ſaecula teſtis exſtet immortalis FRIDERICI gloriae, teſtis incredibilis TVAE benignitatis, vt inde melius ſemper ſanctioris diſciplinae, cultiorisque artis exemplum petatur.

II. ORA-

II.

ORATIO SOLEMNIS

DE

POTIORIBVS IMPEDIMENTIS

EIVS

QVOD PVLCHRVM EST

IN SERMONE LATINO

IN

DIEM SOCIETATIS LATINAE NATALEM

IN

SPLENDIDIDISSIMO AVDITORVM

CONSESSV

D. X. KAL. SEPT. A. CIↃ IↃCC XXXVIII.

HABITA

A

M. IOHANNE VALENTINO BRIEGLEBIO

EIVSDEM SOCIETATIS COLLEGA HONORAR.

MAGNIFICE
ACADEMIAE PRORECTOR
ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITES
PRAESES SOCIETATIS LATINAE
SPLENDIDISSIME
DIRECTOR EXCELLENTISSIME
SOCII CLARISSIMI SVAVISSIMIQVE
AVDITORES SVA QVISQVE DIGNITATE COLENDI.

Plaudit hodierna luce et mira laetitiae voluptate exſultat SOCIETAS, quae Athenis hiſce floret, LATINA. Cumulantur bonorum ominum cauſſae, et ſuauiſſima ad gaudendum naſcitur materia. Diuina enim adſpirante gratia, fortunaque meliore benigne comitante dies ille reuertit exoptatiſſimus, quo ipſi naſcendi conditio obtigit feliciſſima. Iucundi non minus, quam illuſtris huius diei memoriam SOCIETAS LATINA celebritate rurſus proſequitur anniuerſaria, ac deuotiſſima mente prolixiſſimam et prope ſingularem in Muſas gratiam veneratur, et, quoad vigebit, venerabitur, qua inducti STIRPIS ERNESTINAE PRINCIPES OPTIMI MAXIMI, INDVLGENTISSIMI huius Muſarum ſedis NVTRICII, publica ipſam armauerunt auctoritate profligandi barbariem, et copiam fecerunt publicis varii generis exercitationibus in eius orationis cultura incrementa in dies capiendi maiora, qua et veteris aeui, et, quos noſtra tulit aetas, eruditorum placita et cogitata tradita, et omni, ſi qua futura eſt, poſteritati ſunt tradenda. In omni enim doctrinarum genere Muſae loquuntur Latine. Omnes igitur ac ſingulos, qui liberalibus ſtudiis operantur, ſiue diuiniorum litterarum interpretes, ſiue iuſtitiae ſacerdotes, ſiue ſalutis hu-

humanae cuſtodes, tandem aliquando futuri ſint, linguae latinae notitia imbutos eſſe oportere, res eſt tam clara, ac ſolis radii eſſe ſolent, quum ſudum eſt. Orationem ergo latinam ſi bonae eruditionis vehiculum eſſe dixero et ornamentum; facili coniectura aſſequi poſſum, futurum, vt ſententia mea concordi litteratiſſimorum hominum ſuffragatione ac teſtimonio comprobetur.

Quid dicam? comprobetur. Quot et quantis vſibus in omni eruditorum negotio adcommodata ſit orationis Latinae intelligentia, iam dudum ante tria fere ſaecula renatis, et integritati ac dignitati ſuae ſenſim reſtitutis manſuetioribus litteris, cognitum fuit atque perſpectum viris, qui doctrina ſua inſigni, et, quae iſtam commendabat, purae dictionis elegantia, gloriam ſibi pepererunt, nullis vmquam ſaeculorum finibus terminandam. Iam non commemoro Graecos iſtos, atrociſſimorum, quae Muſas in oriente perturbabant, bellorum ſatietate defeſſos, et relictis, quas pertaeſi erant, ſedibus in Italiam, quam fama et ſcriptis illuſtrarunt, honeſtiſſimi otii cupiditate profugos, viros, cum omni eruditionis genere, tum vero elegantiorum litterarum ſtudiis mirandum in modum excultos.

Lubens praetereo tot tantosque viros alios, horum in cultiore Europa aemulos, et profligata barbarie in Heluetia et Anglia non minus, quam Belgio et Gallia, atque in ea ipſa terra, quae nos genuit, eruditionis laude et humaniorum litterarum intelligentia prae ceteris nobilitatos. In orbe, qua patet eruditus, peruulgata ſunt ipſorum nomina, et hiſtoriam litterariam vel mediocriter edoctis notiſſima. Quod ſi vero caſus ita ferat, vt viuis redderentur ſtrenui iſti meliorum litterarum vindices, et eloquentiae in primis, cui a cultiori Latio nomen eſt, laborioſi non minus, quam felices inſtauratores, et mente oculisque ſaeculi noſtri, quod ſenſim in barbariem conſentire videtur, iniquitatem intuerentur; annon putatis, AVDITORES, priſcae iſtos eiusdemque rarioris eruditionis viros temporum noſtrorum conditionem voci-

cibus, dolore et indignatione pleniſſimis, proſequuturos? Quid? quod de illorum paucitate, qui liberalioris doctrinae fontes adeant limpidiſſimos, iam ſuo tempore grauiter fuerint conqueſti, * quocum tamen, ſi politiorum litterarum ſtudia ſpectes, aetas noſtra nullo modo contendi poteſt atque comparari. Iuſtas de elegantioribus litteris ſenſim pereuntibus, et orationis in primis Latinae cultu, noſtro aeuo neglecto, quas viri de eruditione recte non minus ſentientes, quam praeclare promerentes, habent querimonias, ex aliis malo audiri, quam ex me. Id in praeſenti potiſſimum agam, quod nec ab inſtituti ratione videri poterit alienum, nec VOBIS, qui litteris bene cupitis, vt ſpero, erit iniucundum, vt in cauſſas vitiatae noſtro aeuo eloquentiae Romanae inquiram, et in ſplendidiſſimo Veſtro conſeſſu potiora impedimenta eius, quod pulchrum eſt in ſermone Latino, proponam. Quoniam autem omnis, quae a ratione de aliqua re ſuſcipitur, inſtitutio, iam dudum ita monente CICERONE, ** a definitione debet proficiſci, vt intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur; complicatas mentis notiones ante euoluamus ad id, quod pulchrum eſt in ſermone Latino. Quem ad modum pulchritudinis nomine inſignitur corpus, cuius apta quaedam figura eſt membrorum cum coloris quadam ſuauitate: pulchri inſuper dicuntur horti, pulchra aedificia, quae rerum varietate, partium inter ſe conuenientia, et apta quadam conformatione, ad certam regulam compoſitione, ordine, atque concinna proportione ſeſe commendant, ſenſusque noſtros externos mirifice delectant, et, ſi ab oculis ad animum transferantur, eumdem ſuauiſſima laetitiae voluptate perfundunt; ita pulchritudo, quae in ſermone Latino elucet, ea eſt, ſi caſtiſſimarum vocum, quae faſtidio-

* Conf. IOH. WILHELM. BERGERVS in praefat. eruditiſſima, *commentar. de naturali pulchritudine orationis* praemiſſa, et IACOBVS BVRCKHARDVS itidem in praefat. Part. I. *Commentarior.* de *linguae latinae in Germania fatis praefixa.*

** Off. Lib. I. Cap. 2.

ſtidioſiſſimum illum aurium ſenſum demulceat, mira varietas orationis vniuerſae commoda et bene conſentiens diſpoſitio, ordinata verborum, quae rebus ſunt accommodanda, collocatio, natiuus et germanus compoſitionis nitor, iuſta periodorum menſura, et concinna proportio appareat, vt animos auditorum, de ſermonis latini genio recte ſentientium, inuitet et alliciat. * Quis ergo ſermo ſit vitiatus, facile poteritis, AVDITORES, iudicare. Ea ſcilicet oratio vitiis laborat, in qua dictionibus ſua non conſtat caſtitas, periodis ſua deeſt concinnitas, ipſi compoſitioni ſuus nitor. Fidem autem VOBIS datam liberaturus, iam in id toto pectore incumbam, vt ad cauſſas vitiati ſermonis, et potiora impedimenta eius, quod pulchrum eſt in ſermone latino, animos veſtros reuocem. Miramini, AVDITORES, in tanta ſcholarum et academiarum celebritate, in tanta reliquarum artium, quae noſtro aeuo ſumma fere incrementa ceperunt, multitudine, in tanta eorum, qui nobiliſſimo litterarum ſtudioſorum titulo a vulgo ſegregantur, adfluentia et copia, elegantioris Latinitatis ſtudium deferbuiſſe, et rariores eſſe, quibus facultas ſit cogitata ſua ſermone latino eodemque cultiori, et ad genuinae eloquentiae leges, ac antiquam dicendi normam compoſito, patefaciendi. Varia ſunt, quae impediunt, quo minus facultatem iſtam aſſequamur. Incrementis in oratione latina capiendis ſaepenumero diſcentes aeque obſtant, atque ipſi rei ſcholaſticae magiſtri et moderatores. Si mens noſtra, quoad longiſſime poteſt, reſpiciat ſpatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordetur vltimam, inde vsque repetentes videbimus, variis modis peccatum fuiſſe a multis, qui nobis in litteris latinis erudiendis, et ad humanitatis ſtudia informandis, dati

 fuerant

* Conf. IOH. WILHELM. BERGERVS in *Commentar. de naturali pulchritudine orationis* ſpeciatim p. 309. ſeqq. item p. 623. et 627. ſeqq. Lipſ. 1720. CHRISTOPH. WOLLE in diſſertatione critica *de eo, quod pulchrum eſt in verſione ſacri codicis latina* SEBASTIANI CASTELLIONIS §. 4. 5. Lipſ. 1729.

fuerant doctores. Nonnulli enim iuuentutis formatores in ipſo Latio cultiori ſunt hoſpites, et viae, quam aliis monſtrare debebant, inſcii, dum genuinae eloquentiae praecepta, fontes antiquos et morem antiquum ignorant; alii, ſi norint, commoditatem, blandiſſimam illam dominam, ſequuti, iuuenes ſibimetipſis, ſuisque *officinis*, *veſtibulis*, *ianuis*, *portulis*, *orbibus ſenſualium pictis*, *ſyluis*, *aerariis*, *theſauris*, *dictionariis*, *vocabulariis*, aliisque lutulentis, minimeque, nec ipſo titulo, latinis patiuntur relictos, et, quod eorum exercitationi et veteris aeui auctorum lectioni impendi oportuerat, tempus, in rebus nullius auctoritatis et vſus, conterunt, atque adeo iuuenum commodis, vt par erat, non proſpiciunt. Quid? quod plures a genuina litteras tradendi ratione turpiter aberrent, ac tenerae illi aetati, qua bonae eruditionis prima initia ſunt percipienda, peſſime conſulant. Sunt enim, qui praeceptionibus grammaticorum, iisdemque ſaepius non latine, ſed barbare conſcriptis, puerorum memoriam miſere fatigant et excruciant, vt iſti nomen etiam grammaticae expaueſcant, et, ſi recitare iubeantur, Panico terrore trepident, et ferulas triſtis et moroſi paedagogi formident. Ridenda, et puerorum, quos formare videntur, ſibilis explodenda, proſcribenda et ex ſcholis exterminanda eſt iſta litteras latinas docendi ratio. Annon, AVDITORES, putatis, iſtos in academiis doctores HERACLITO riſum, ac DEMOCRITO lacrimas excitaturos, qui, linguae Arabicae praecepta ſi aliis tradere velint, grammatica vtantur Arabico ſermone conſcripta? Quae inſuper, malum, eos in iſtam opinionem induxit ratio, vt ſibi perſuadeant, orationis latinae pulchritudinem artis, quam ita vocamus, grammaticae peritia conſtare? Linguae auctores diurna nocturnaque verſandi ſunt manu. Sed forſitan quispiam opinatus fuerit, me ex puerorum manibus excutere velle libros grammaticorum. Huic ego vellem ſatiscognita eſſet mea ſententia. Non ego ſum is, qui grammaticorum leges nullius vtilitatis, nullius momenti eſſe exiſtimem, eorumque libellos ſuadeam abiiciendos. Si haec mihi mens eſſet, patronus forem inſcitiae

tiae et negligentiae puerorum, et verendum mihi foret, ne tirones iſti, litterarum latinarum rudes ita loquantur vel ſcribant, vt obſcurorum virorum dicendi genus putes reuocatum. Praecepta loquendi vel ſcribendi patrio ſermone tradenda erant breuia et perſpicua, et indiſſolubili nexu cum meliorum auctorum lectione et imitatione coniungenda. * Eſt aliud quoddam in ſcholis doctorum genus, qui exquiſitae cuiusdam ac reconditae eruditionis ſpeciem prae ſe ferunt, ſeque de iuuentutis commodis praeclare mereri ſibi perſuadent; rem tamen ſi curatius perpendamus, multum agendo nihil agunt. Hi fere ſunt, qui nimis magnum ſtudium multamque operam in res obſcuras atque difficiles conferunt, easdemque non neceſſarias. De vocum quarumdam obſcuriorum ſcriptione, flexione, ſignificatione, conſtructione, quantum labore, quantum animi viribus conniti poſſunt, inter ſe litigant, et ſumma vi tamquam in praelio rem gerunt. Verba, dictiones, ſyllabas, litteras, voculas, apices addunt, delent, diſtinguunt, mutant, ac ſuo ſupercilio ſapientiam, velut Atlante coelum, niti putant. Vtrum Vergilius an Virgilius, caerimonia, an cere-

monia

* Lubet hic adiicere verba IOH. HENRICI BOECLERI in denen Gedanken, wie mit einem jungen Menſchen die humaniora zu treiben, pag. 32. dieſes ſollte die Art ſeyn, die Grammaticam zu treiben: wenn ein Knab die Generalia dieſer Kunſt, ſo man gleich in primis rudimentis erlernen muß, gefaſſet, ſoll man ihn alſobald in die Autores latinos hinein führen, und beyleib nicht aus der Grammatica ein abſonderliches Stück des Studirens machen; ſondern dieſelben Regeln und Wiſſenſchaft zugleich mit der Uebung in den Auctoribus einpflanzen. Als, man examinire einen Periodum aus einem Buch, daß der Knabe weiß, was geredet wird. Darnach führe man ihn per ſingula: kommet etwas ratione generum vor; ſo nehme der Praeceptor die Grammaticam in die Hand, und ſuche daſſelbe auf, weiſe es dem Knaben, und ſage: ſiehe, hier haben wir in den regulis ſubſtantiu. oder adiectiv. auch dieſe: applicire hierauf auch das gegenwärtige Exempel, mit Vermahnung, er ſoll zuſehen, ob ers merken könnte, es würde oft kommen, und noch wohl in dieſer Lection. Alſo in Conſtructione ſage er: ſiehe, ſo ſetzet der Auctor dieſe und jene Wörter zuſammen, und iſt dieſes in ſyntaxi nominum, verborum, participiorum (je nach Beſchaffenheit der Sachen,) zu finden; da ſtehet es, mach dir den Ort bekannt. Und ſo in allen Grammaticalibus. Conf. etiam Vir Summe Reuerendus IOH. GEORG WALCHIVS in *hiſtoria crit. Latinae Linguae* pag. 4. & 318.

monia ſcribendum ſit vultu compoſito diſputant; et eos, qui ab ipſis diſſentiunt, tamquam rectiorum litterarum oſores iniuriis conuiciisque laceſſunt. Quod ſi vero contingat, vt antiquiorum litterarum naufragia, vel puluerulentos et exeſos codices, manu exaratos, perſcrutati, neſcio quid eruant, alta ceruice ſuperbiunt, et magnos ſe eſſe triumphatores, quin imo Auguſto feliciores arbitrantur. *

Sua quidem laude non ſunt defraudandi, qui melioris humanitatis auctores, quos multorum ſaeculorum barbaries peſſime contaminauerat, reddiderunt emaculatos, et locos ſcriptorum vulneratos ſuae reſtituerunt integritati. Magnae id eſt eruditionis, magni ingenii. Sed modus in ea re tenendus, et auctorum mutatio temere non periclitanda, nec acerrima de rebus minutioribus contentione, quaſi in iis omnis S. R. Imperii, quin imo vniuerſi terrarum orbis ſalus diſceptet, committendum, vt in muſtaceo, quod aiunt, laureolam quaerere videamur. Qui ita ſe gerunt, vt pro vera laude vaniſſimae gloriolae vmbram ſectentur, ac, dum humanitatis doctores ſeſe profitentur, graeculo faſtu abrepti omnem ſaepe humanitatem exuunt, tantum abeſt, vt illi de iuuentute, quae ipſorum curae commiſſa eſt, bene mereantur, vt potius temporis, rei pretioſiſſimae, vſura, cuius ſolius honeſta auaritia eſt, et quod inſigniori vſui impendi debuerat, diſcentes defraudent, eosdemque ſterilibus hiſce in Latio herbis, et lolio infelici, ab eo, quod pulchrum eſt in ſermone latino, abalienent. ** In eodem fere luto haerent, qui nimia ſeſe religione

ne

* Confer. DIRECTOR EXCELLENTISSIMVS in der Einleitung in die nützlichſten Uebungen des Latein. Stili part. II. c. II. §. 8. p. 389. et in diſſ. de *ecclesia Lutherana politioris litteraturae Patrona* §. XII. p. 25. It. SAMVEL WERENFELS in diſſ. de logomachiis eruditorum §. 6. p. 11.

** Hanc in ſententiam praeclare ſcribit IOH. FRANCISCVS BVDDEVS

ne adſtringunt, et in vnius CICERONIS verba iurant. Sedent iſti Catones in cathedris, barba deformes et rugis, et ceu ipſe Tullius pro roſtris, grandia minantur adoleſcentulis ſibi obnoxiis, quibus pro ea, qua pollent auctoritate, vetant vllam dictionem, vllam loquendi formulam, vllam periodi inchoationem, connexionem, clauſulam vſurpare, quae non ſit CICERONIS. Inde fit, vt diſcentes ſaepe cogantur reticere, quae vel optime animo conceperant; niſi vero ſatis ridicule circumſcribant, quae vel vno, CICERONI licet incognito, attamen neceſſario verbo poterant effari, atque ita hoc ipſo pulchrum iſtud in ſermone latino deſerant, quod tanto ipſis ſtudio a doctoribus videbatur inculcari. *

Quemadmodum vero multis modis peccatur ab iis, quorum curae et auctoritati iuuentus eſt tradita: ita viciſſim multa culpanda ſunt in ipſis adoleſcentulis, qui doctorum, quos propitium rebus humanis Numen omni etiam tempore ſcholis indulſit, munere ſuo pulchre fungentium auctoritatem non ſequuti, et ſibi et officio ſuo turpiter deſunt. Mens iuuenum ſaepe laeua eſt, faſtidiunt illi bonas litteras, et alto ſupercilio

B 3 con-

DEVS in *oratione de bonarum litterarum decremento noſtra aetate non temere metuendo* pag. 25. Non dubito, longe adhuc plures fore, qui litteras elegantiores colant, ſi non haud pauci eorum, qui iſtarum litterarum ſe magiſtros et ſtatores profitentur, eos ſimul cum iis coniungerent mores, quibus et ſe ipſos et litteras, quas colunt, ludibrio omnium atque contemtui exponunt. Enim vero, ſi qui profitentur litteras, quas tantopere praedicant, humanos reddere, et ipſi tamen nihil, niſi ferociam, petulantiam, vanam ineptamque ambitionem, altercandi ſuper leuiſſimis rebus pruritum aliosque mores a virtute non minus, quam humanitate omni alienos, prae ſe ferunt, non eſt, quod mirentur, illorum quod non temere verbis quis fidem habeat, et cum eiusmodi vitae ratione ipſae litterae ſordeant plurimis, atque vilipendantur.

* Conf. DIRECTOR EXCELLENTISSIMVS in diſſert. de Eccleſia Lutherana politioris litteraturae patrona §. 13. p. 27.

contemnunt, quas nullius vſus et auctoritatis eſſe arbitrantur. Seueriori in ſcholis lege proficere detrectant, et, quum Muſas caſtiores vix e longinquo viderunt, per inferiores diſcentium ordines non dicam praecipiti curſu ſed volatu, opinione et exſpectatione citius, in academias delati illotis, quod aiunt, manibus interiorum diſciplinarum ſacra turbant, et nouo genere furoris prius eruditi eſſe volunt, quam erudiri. * Stolidiores liberis parentes et amici, qui effrenatam ipſorum ad ſuperiora ſurgendi cupiditatem ſaepenumero adiuuant, et filios ad ea niti iubent, quae ſcilicet vel ad ingenii illuſtrioris famam faciant, vel certiorem honoris ac diuitiarum, ſalutis ac felicitatis ſpem proponant. ** Verentur ſcilicet, ne aliquando deſint, qui vel medicinam faciant, ac decumbentium lectulos obambulando aegrotis curationem adhibeant; vel qui per angulos ciuitatum diſcurrant, ac formulis et cautionibus miſerorum fortunas defendant, litesque inter agreſtes obortas componant; vel qui pro cathedra ſacra verba ad populum faciant, et coetui, arctiori Dei foedere adſcito, praeſint. Quare incautos iuuenes ad ambiendos in republ. honores, parandasue nuptias, iuſto maturius, et ſatis imprudenter cohortantur. O tempora! O mores! Vos, patres et amici

* Animaduertit in eos percelebris in academia Lipſienſi Theologus ac Philologus SALOMO DEYLINGIVS *inſtitution. prudentiae paſtoralis* cap. I. §. II. p. 98. et 99. his verbis: Ipſe ſtudioſus ſibi iniicit impedimenta, quando in ſcholis fundamenta grammaticae negligit, nec litteris, quantum ſatis eſt, excultus aut imbutus, aut iudicio, aetate ac omni ingenii cultu deſtitutus, curſu ſcholaſtico nondum abſoluto, in academiam auolat, vel ſtudia academica nimis feſtinanter deſerit.

** PETRONIVS ARBITER *Satyr.* Quid ergo eſt? parentes obiurgatione digni ſunt, qui nolunt liberos ſuos ſeuera lege proficere. Primum enim, ſicut omnia, ſpes quoque ſuas ambitioni donant: deinde quum ad vota properant, cruda adhuc ſtudia in forum propellunt, et eloquentiam, qua nihil maius confitentur, pueris induunt adhuc naſcentibus.

ci moleſtiſſime ſeduli, qui imberbes iſtos iuuenes alligatis gladiis, et gladiis alligatos in academias temere propellitis, vos appello, bona vobiscum agendum eſt fide, aperte dico, inſcios vos eſſe, ac turpiter ambitioſos. Conſultum cupitis ſaluti liberorum, et damna ipſis importatis maiora, quam quae poſſint aeſtimari. *

Quid vero agunt filii in academiis? delectant eos epulae, quibus menſae inſtruuntur, exquiſitiores, placent ſodalium ſermones, arridet ſancita inter pocula fraternitas, influit in animos academica libertas, cuius proprium eſſe putant, ſic viuere, vt velint. Non ignorant diuitias et opes, hereditate aliquando ſibi relinquendas, quare vix pauca, et, ſi diis placet Homericis, apprime vtilia et neceſſaria addiſcere volunt. Aditum ad interiores diſciplinas turpiſſimo opinionis errore ſibi fingunt facillimum. Quae in doctorum ſcholis occupare debebant ſubſellia, vacua relinquunt et inania, ignobile ſequuti otium, et indignis docto homine voluptatibus dediti, gaudent equis et canibus, vicinos Muſis luſtrant pagos, in laſciuos ruunt amplexus, ſuauiter ſeſe inſinuant in eorum amicitiam et conſuetudinem, qui quidem ſuo ipſos patrimonio feliciſſime emungunt. Prata ſat bibiſſe putant, riuos ergo claudunt, ac tantum abeſt, vt claſſicos, quos ita vocamus, auctores ſtudioſe legant, vt potius indigniſſime contemnant, et, ſi non maximo cum taedio ad tabernas proiiciunt, vbi piperi et aromatibus inuoluendis inſeruiant, aliis certe leuiſſimo pretio addicant. Ne vero nihil videantur agere, nec a diabolo mere inueniantur otioſi, belle confictis fabulis, ridiculis narrationibus, ac libellis amatoriis, quorum aetas noſtra eſt feraciſſima, tempus omne conſecrant et impendunt. Si qui vero meliori indole adoleſcentes ad academias accedant, qui pro-

* Conf. Gottlieb Muſenhold in dem frühzeitigen Studenten, oder wohlgemeynten Vorſtellung, von dem Schaden des frühzeitigen Univerſitätenziehens. Hamb. 1737.

bę ſecum reputent, curtam eſſe, quam in ſcholis ſibi acquiſiuerint, ſupellectilem, atque adeo opes partas non ſolum tuendas, verum etiam ſubinde laborioſe amplificandas eſſe cenſeant, ob aetatem tamen teneram, ceream in vitium flecti, facile adducuntur, vt conſilio repente immutato, quam inſiſtere coepere, viam derelinquant. Adeunt eos amici et ſodales, et Ciceronis vel Liuii lectione offendunt occupatos, rident, et vitam academicam alios mores, alias ſtudiorum rationes poſtulare, pleniori quaſi ore clamant. Quod ergo exemplo fit, id creduli adoleſcentuli iure fieri putant. Muſas cum ſua pulchritudine et elegantia, ſtridulisque inſtrumentis, quae nihil minus quam ſuaue amplius ſonant, a latere ſuo propulſant, et vitae academicae rationes ab orationis latinae cultura ſeiungunt. Subſcribentes ſodalium ſententiae, tamquam ex Apollinis tripode dictae, et ſaeculi indulgentes genio tum demum, ſi philoſophari inſtituant, ſe praeclare acturos arbitrantur. Neque vero coeptis ſuis exitus reſpondere optatos ſibi haud vane videntur ominari. Muti enim antea et fere elingues breui ſe ſentiunt diſertos. Docte garriunt, pomum illud Eridos, perplexam de commercio animae et corporis doctrinam, non ſine pompa in medium producunt, quid ante naſcentis mundi exordia fieri potuiſſet, ſubtiliter diſputant, aliis inuiſitatos et inauditos orbes plures animo concipiunt, et ſuis, quas inter haec omnia vſurpant, *haecceitatibus* et *quidditatibus*, mirum in modum ſuperbiunt; multum vero intelligendo, vt nihil intelligant, faciunt. Auctores autem claſſicos, in quibus emaculandis, limandis, enarrandis maiores noſtri tantum poſuerunt operae, tantum induſtriae, vt abiiciant, duabus potiſſimum, quae ſtirps et ſemen tot malorum ſunt, opinionibus praeiudicatis inducuntur. Sodales enim, qui ad imponendum adoleſcentulis omnes adhibent machinas, ſermonem latinum mutum, et ipſas, quae ita vocari conſueuerint, litteras elegantiores leue quidpiam eſſe et nugatorium, et parum inde vtilitatis in ipſarum cultores redundare, vociferantur. Errant vero, et in luce meridiana coecutiunt, qui ita et ſibi

et

et aliis perſuadere conantur. Nondum conticuerunt Muſae latinae, nondum deſitum eſt inter eruditos latine loqui. Viget latina oratio non ſolum in cathedris doctorum academiae, verum etiam in aulis principum Europae. Latinae litterae contemtum ſui per omnem vitam ſeueriori vltione vindicant, nec diutius ferunt, quae ipſis illata fuit, iniuriam. Quod ſi enim rerum conditio ita ferat, vt patronis otii litterati reddenda ſit ratio, ſcribendum aliquid, et ex cathedris cum litteratis hominibus diſputandum; tum ſentiunt, qui de ſermonis latini cultura ſiniſtre iudicabant, quam parum ſtudiorum rationibus fuerit prouiſum. Sudant, laborant, fatigantur, caput ſcabunt, vngues rodunt, calamos mordent, neque vero hisce omnibus quidpiam proficiunt. Si in circulo doctorum veteris cuiusdam auctoris nomen inciderit, piſcis aut edulii peregrinum vocabulum arbitrantur. Stant Muſae attonitae, et plus quam Cyclopeis conuiciis antea oneratae cum ipſis in gratiam redire nolunt. Quum tamen neceſſitatis ratio ita poſtulet, vt latine ſit loquendum vel ſcribendum, verbum vnum latine proferre horrent, barbaris, quae ſcribunt vel diſputant, dictionibus omnia replent, nouas pro libidine ſua loquendi formulas fingunt et excogitant, periodos, in quibus nihil ineſt elegantiae, nihil ſuauitatis, conficiunt; et tremendo ac inſuaui vocum ſesquipedalium, *entalitatum* ac *indiuiduationum* mugitu omnia reſonant. Suo ita damno ſero tandem ſentiunt, nimium ſibi nocere litterarum ignorantiam. Vident, quam male ſuccifis quaſi hisce neruis ambulent. Quis ergo litterarum vtilitatibus careat? quis earum praeſidio deſtitutus praeſtare quidpiam audeat? varios et inſignes vſus in omni negotio praeſtat orationis latinae facultas. Sine accurata iſtius notitia pro temporum noſtrorum conditione nec vatum diuiniorum integritas, * nec

* LVTHERVS, diuinitus excitatus puriorum ſacrorum inſtaurator *Tom. II.* Altenb. f. 809: Ohne Sprachen wird das Evangelium nicht erhalten; et fol. 808. So lieb uns das Evangelium iſt, ſo hart laſſet uns über die Spra-

nec Vlpiani auctoritas, * nec Aeſculapii conſiſtet dignitas. **

Quid? quod pluribus, qui academia abeunt, quum ſortis ſint tenuioris, Muſae humaniores, ſi etiam rem familiarem ſpectes, vtilitatem exhibeant haud poenitendam.*** Fuit quidem, fuit illud tempus, quo elegans poëta, ACCIVS SINCERVS, quem germano nomine nouimus IACOBVM SANNAZARIVM, pro venuſto, quod in laudem vrbis Venetae exara-

Sprachen halten; item *Tom. V. f.* 36. Wo wollen Prediger, Juriſten und Aerzte herkommen, wo nicht die Grammatica und andere Redekünſte vorhanden wären? aus dieſen Brunnen müſſen ſie alle herflieſſen.

* Praeclare magni nominis Iurisconſultus I. H. BERGERVS init. *Manud. ad ſtudium Iuris animaduerſ.* ipſius in IOHANN. BRVNNEMANNI *Quaeſt. ad Pandect.* adiunct. ſi quis, inquit, mortalium eſt, quem a prima aetate vel naturae quidam impetus, vel prudens omnino conſilium, rerumue, quae illum circumſtant, ratio ad amplectendum excolendumque Iurisprudentiae ſtudium deduxit, illi omnium maxime danda eſt opera, vt Latinae Linguae facultatem ſibi acquirat cet.

** IOH. HENRICVS KROMAYERVS, praeceptor, dum viueret, deſideratiſſimus *in diſſ. de litterarum elegantiorum cultura in academia diligentiſſime continuanda* §. IIII pag. 4. Ita comparata eſt ars maxime ſalutaris, medicina, vt aegris corporibus medentes adhibituri manus, ſi vltra circulatorum adſcendere dignitatem, nec medicinam ſic facere velint, vt ſutor ille malus, cuius a Phaedro (fabul. XIIII. lib. I.) ridicula imago pingitur, ab humanioribus litteris pluriuum fructus et emolumenti debeant exſpectare.

*** ERNESTVS SALOMO CYPRIANVS, ſupremi ſacri Synedrii Fridenſteinii Vicarius Praeſes longe ſpectatiſſimus, PATRONVS poſt Deum et parentes maxime venerandus, in praefat. ad IOH. HENR. BOECLERI Gedanken, wie mit einem jungen Menſchen die humaniora zu treiben, pag. 16. Die humaniora werden heut zu Tage ſo rar und angenehm, daß ſie dem, ſo ſie hat, und dabey zu leben weiß, ſo gut ſind, als ein groſſes Capital.

arauerat, trium diſtichorum epigrammate crumenam retulit aureis nummis impenſe onuſtam. *

At enim vero non adeo vileſcere coeperunt litterae latinae, vt nuſpiam ſuos inueniant amatores et patronos. Non deſunt principes et rerum domini, aut rerum ciuilium miniſtri, qui, quum pretium et vtilitatem illarum cognitam et perſpectam habeant, eas non ſolum effloreſcere et incrementa capere vehementer exoptant, verum etiam, vt votis euentus reſpondeat optatus, ad id, quod pulchrum eſt in hisce ſtudiis, nitentem ope et conſiliis adiuuant. Non deſunt parentes generoſiores, qui deteſtati illos, quos Iuuenalis riſit, ** Euclionеs, et liberos et praeceptores parcius, quam aequum erat, habentes, ſuis, quos in deliciis habent, et ad patriae ſalutem rite educari cupiunt, adoleſcentulis iſtiusmodi doctores praeficiendos curant, qui in litteris latinis operam poſuerunt haud proletariam, ſed ita verſati ſunt, vt excellant, eorumdemque operam liberaliter compenſant.

Quae quum ita ſint, AVDITORES, vt locus hic nihil habeat dubitationis, quin tanta vis, tantumque momentum

* Epigramma iſtud huius eſt ſententiae:

Viderat adriacis Venetam Neptunus in vndis
Stare vrbem, et toti ponere iura mari.
Nunc mihi Tarpeias quantumuis, Iuppiter arces,
Obiice, et illa tui moenia Martis, ait.
Si pelago Tybrim praefers, vrbem adſpice vtramque.
Illam homines dices, hanc poſuiſſe deos.

Conf. Das Gelehrten-*Lexicon edition.* IOECHERIAN. p. 1023. et 1024. it. Celeberrimus in academia noſtra Profeſſ. Gottlieb Stolle in denen Anmerkungen über *D.* Heumanns *conſpectum reipubl. litterariae* pag. 240.

** Lib. III. Satyr. VII. v. 184.

Quanticunque domus, veniet qui fercula docte
Componit, veniet qui palmentaria condit.
Hos inter ſumtus ſeſtertia Quintiliniano,
Vt multum, duo ſufficient; res nulla minoris
Conſtabit patri, quam filius.

tum in vtraque parte, in orationis latinae cultu vel conſeruato, vel neglecto, poſitum ſit; debita omnino cuilibet ingenuarum artium cultori opera in ea erit collocanda. Quemadmodum vero omnium in vniuerſum, qui ratione vtuntur, hominum conſenſu ac teſtimonio bonum praeſtat malo; ita barbaro et obſcuro ſcripturae et orationis generi perſpicuum et elegans; ſcurrili ac ſordido pulchrum et caſtum; tumido ac ventoſo ſplendidum et magnificum eſt anteponendum. Id vero vt adſequamur, probatioris notae auctores in deliciis ſunt habendi, ſedulo legendi et imitandi. Verum enim vero variis etiam modis hic ſibimetipſi iuuenes obſtant, quo minus coepta ſua ad exitus peruehant optatos. Sunt, qui coeco nouitatis ſtudio abrepti, faſtidioſo deſpiciunt ſupercilio, quidquid priſcos ſapit, nec aeui ſui genio videtur adcommodatum. * Sophiſticam illam recentiorum quorumdam et calamiſtratam, quae tota ad pompam et oſtentationem comparata, ſi quidem ita dicere fas eſt, elegantiam amant, et in deliciis habent, hoc eſt, mellitos verborum globulos, et omnia dicta factaque quaſi papauere et ſeſamo ſparſa. Qua ergo ratione, per Deum immortalem, fieri poteſt, vt id, quod pulchrum eſt in ſermone latino, adſequantur? Qui inter haec nutriuntur, non magis ſapere poſſunt, quam bene olere, qui in culina habitant. A lepore ad ſcurrilitatem, a magniloquentia ad tumorem, a munditie ad ſordes, a natiuo romani ſermonis ſono ad importunam peregrinitatem turpiter dilabuntur. Puros enim ac limpidos liberalioris doctrinae fontes faſtidiunt ac ſpernunt,

* HOMERVS ODYSS. I. 351. ſeqq.

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

i. e.

Eam enim cantilenam magis celebrant homines,
Quaecunque auditoribus recentiſſima exſiſtat.

nunt, et ad riuulos lutulentos ac lacunas redeunt, atque ita a ſimilitudine camelorum prope abſunt, qui non, niſi aqua conculcando antea perturbata, potum hauriunt. Is quidem ego, AVDITORES, non ſum, qui flexis, vt ita dicam, genibus adorem veteris aeui auctores, et omnes in vniuerſum, qui latine ſcripſerunt, noſtrae aetatis homines velim reprobatos. *

Iſtos appello et reprobo, qui ſuo indulgentes ingenio corpus orationis nouo quodam modo adornare, habituque ſingulari conueſtire ſolent, tam a veteri quam vulgari dicendi ratione remotiſſimo. Neque enim noſtra aetate viri deſunt latine dicendi laude clariſſimi. Lectio iſtorum cum veteribus quam diligentiſſime eſt coniungenda, et exemplo horum cognoſcendum, quemadmodum ipſa, in qua proficere ſtudemus, latinitas pro temporum noſtrorum, et, quae noſtro aeuo florent, diſciplinarum conditione ad vſum et exercitationem ſit transferenda. **

Tan-

---

* PLINIVS *lib. VI. epiſt. 21.* ſub init. *Sum ex iis, qui mirer antiquos: non tamen, vt quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio. Neque enim quaſi laſſa et effoeta natura nihil iam laudabile parit.* Quocum egregie conueniunt, quae habet argutus ſcriptor IOH. OWENVS lib. III. poſter. epigramm. 47.

Diſplicet inſipiens nouitas, delira vetuſtas
Non placet; eſt vero, nil mihi, Paulle, prius:
Non ego ſum veterum, non aſſecla, Paulle, nouorum;
Seu vetus eſt, verum diligo, ſiue nouum.

** Conf. de hac re ab eruditis in vtramque partem exiſtimata MICH. LILIENTHALIVS de *machiauelliſmo litterario* p. 2. 8. SEVERINVS LINTRVPIVS *in praefatione ad Borrichii orationes.* BVRC. GOTTHELF STRVVIVS in introd. *ad notitiam rei litterariae* cap. V. §. 18. GOTTLIEB STOLLE *in hiſt. litteraria* pag. 11. IOH. CHR. OTTO in diſſ. de *aeſtimanda veterum ac recentiorum eruditione.* GEORGIVS HENR. AYRERVS in diſſert. *de comparatione eruditionis antiquae et recentioris.* ANT. BLACKWALLII *de praeſtantia auctorum claſſicorum commentationi*, ab ipſo *latine verſae* atque *animaduerſionibus inſtructae* ſubiuncta Lipſ. 1735.

Tantum vero abeſt, vt eorum ſententiae ſubſcribam, qui ſolos, quos noſtra tulit aetas, ſcriptores elegantiores tironibus ſtatuunt commendandos, vt potius, quemadmodum antea dixi, antiquos, ſi orationis latinae cultum ſpectes, recentioribus ſemper exiſtimem anteponendos. Conſultius enim eſt, non neglectis recentioris aetatis ſcriptoribus caſtioribus, ipſos adire fontes, ex quibus dulcius bibuntur aquae, vti tritum habet ſermone prouerbium, nec a rei veritate alienum. Sed videntur iſti viri, qui a monumentis antiquis adoleſcentulos auocare conantur, metuere religioni. Noui, quid heic eruditae pietatis viri obiiciant, ſed habeo, quod reſpondeam. Nocere, dicunt, ſcriptores a ſacris CHRISTI alienos, morum integritati, corrumpere vitae ſanctitatem, alere et augere inſitas iuuentuti a natura ad praua quaeuis libidines: conſultius ergo eſſe, ſi ſcriptores, qui chriſtianam profitentur religionem, et elegantiae et concinnitatis ſtudioſiſſimi, ſtatim ab ineunte aetate euoluantur. Id equidem non iuerim infitias, nimio quosdam antiquiorum auctorum ſtudio abreptos, eo proceſſiſſe impietatis, vt et animum et ſtudiorum ſuorum rationes a ſanctioribus litteris ſeiungerent, ſordeſcente ipſis lyra Dauidica prae lyra Horatiana. *

Sed, quod peſſimo horum exemplo fit, caue id bonis lit-

* Summe Reuerendus IOH. GEORG. WALCHIVS in *hiſtoria Critica Lat. Ling.* p. 213: Quae Cicero; aut Liuius; aut Virgilius ſcripſerunt, magis illis placent, quam quae ipſe Deus ad ſalutem illorum ſempiternam dixit, ac litteris conſignanda curauit. Habemus horum hominum exempla, quae re ipſa triſtia ſunt ac lugubria. (Reprehendit quoque illos IOH. FRANCISC. BVDDEVS *in theſibus theol. de atheiſmo et ſuperſtitione* p. 312.) CLAVDIVM BELVRGERIVM Gallum eo ſtoliditatis atque dementiae progreſſum, vt in aedibus Deo ſacris ſanctiorum precum loco HOMERI ſententias recitaret, ex GERHARD. IOH. VOSSII *de hiſt. latin.* lib. III. cap. 8. pag. 190. tom. IV. opp. refert, et ſimul plura exempla, quae praeſtat tacere, quam narrare, exhibet IOH. FRID. SCHVMANNVS *in diſſ. philoſ. et hiſtoric. de eruditione noxia* pag 47.

litteris tribuas, quae ſuo vitio religioni et pietati non ſunt inimicae. Id vero vitium, quo nonnulli recentiorum quorumdam ineptis et inconditis libris mirum in modum delectantur, dum alii vitare volunt, in alterum incurrunt. Vetuſtiſſimos enim ſcriptores, ab orationis latinae venuſtate remotiores, peruolutare gaudent, eorumdemque dictiones, dum ſaeculo iſto vixerunt aureo, pro auro habent; quod tamen ipſum, dum non ſatis excoctum eſt, et igne ſpectatum, multum ſcoriae admixtum habet et purgamenti. Quales ergo legunt, tales euadunt. Inde enim accidit, vt dicendi rationem adſequantur impeditam, maculoſam, et vel ipſis oraculis Sibyllinis obſcuriorem. Verba, quae ſigna debebant eſſe cogitationum, ita ſunt comparata, vt continuo interprete opus ſit ad ea intelligenda. Sunt enim obſoleta, priſca, rariora, et vel ab ipſa EVANDRI matre repetita. Quid? quod, ſi inani tumeant faſtu, varie et copioſe alludunt, ex vetuſtiſſimi aeui hiſtoria et antiquiſſimorum poetarum fabulis arceſſunt, quae ſermoni inſerant, et ineptiſſimarum argutiarum congeriem non ſine ingenii et eruditionis oſtentatione in medium producunt. Vitanda ſunt iſta ſermonis vitia, ſcriptores ad lectionem, et, exinde orituram, imitationem deligendi ſunt perſpicui, concinni, elegantiores, ſi quidem illud nobis in votis et optatis ſit, vt id, quod pulchrum eſt in ſermone latino, adſequamur. Coeptis vero noſtris vt exitus reſpondeat optatus, id inſuper conſilii dederim, AVDITORES, vt quos pro ingenii noſtri modulo libellos latino ſermone exaramus, eosdem ante, quam in vulgus edantur, cum peritioribus elegantioris Latinitatis hominibus diligentius communicemus. Ita enim fiet, vt caueamus felicius errores; et, ſi quando contigerit, vt a recta via aberremus, errantibus nobis via comiter monſtrabitur. Praeclara iſta eſt, et omni laude ſpectatior erroris cognoſcendi et emendandi voluntas ac ratio. Vitabunt hoc modo multi, qui docti haberi volunt, in chartis a Grammaticorum legibus aberratio-

rationes, quas pueris vix condonandas deprehendunt eruditiores. Prodeſt eruditis hominibus conferre inter ſe, quos compoſuerunt, libellos.

Apprime vtilem eſſe hanc inſtituti rationem, non ſine inſigni iucunditate Societas noſtra, quae CELSISSIMORVM ERNESTINAE PROSAPIAE DVCVM auctoritate, et VENERANDORVM academiae PATRVM auſpiciis Athenis hisce floret, Latina recordatur. Veteris enim Romanorum * moris aemuli quaecunque ingenii monumenta elucubramus, ſociorum iudicio permittimus et cenſurae, atque alii aliis de noſtro lumine accendimus lumen. Societas haecce Latina vt vigeat et floreat, ſodalium labor vt in magnam reipublicae vtilitatem deſinat, ardentiſſimis Numen immortale imploro precibus, et, quoad viuam, implorabo.

* PLINIVS lib. V. epiſt. 13. Recitaturus oratiunculam, quam publicare cogito, aduocaui aliquos, vt vererer: paucos, vt verum audirem. Nam mihi duplex ratio recitandi: vna, vt ſolicitudine incendar; altera, vt admonear, ſi quid forte me, vt meum fallit. *Idem lib. VII. epiſt. 17.* Nec vero ego, dum recito, laudari, ſed dum legor, cupio. Itaque nullum emendandi genus omitto: ac primum, quae ſcripſi, mecum ipſe pertracto; deinde duobus aut tribus lego; mox aliis trado annotanda; notasque eorum, ſi dubito, cum vno rurſus aut altero penſito: nouiſſime pluribus recito, ac, ſi quid mihi credis, tunc acerrime emendo.

III.

III.

LAVDATIO FVNEBRIS

QVA

SERENISSIMVM PRINCIPEM

EVGENIVM FRANCISCVM

SABAVDIAE AC PEDEMONTII DVCEM

MARCHIONEM SALVTIARVM

AVREI VELLERIS EQVITEM SACRAE CAESAREAE CATHOLICAEQVE MAIESTATIS ACTVALEM INTIMVM CONFERENTIARVM CONSILIARIVM SENATVS AVLICO BELLICI PRAESIDEM IN GERMANIA LEGATVM PER ITALIAM VICARIVM EIVSDEMQVE CAESAREAE MAIESTATIS ET SACRI ROMANI IMPERII SVPREMVM CAMPI MARESCHALVM EXERCITVVMQVE SVMMVM DVCEM LEGIONIS VNIVS DIMACHARVM EQVITVM TRIBVNVM ETC.

GLORIA RERVM PACE BELLOQVE GESTARVM IMMORTALEM

VICTORIIS

TVRCICVM GALLICVM HISPANICVM

DE AVGVSTA DOMO AVSTRIAE IMPERIOQVE CHRISTIANO OPTIME MERITVM

CVM

ANNO A REPARATA HVMANI GENERIS SALVTE CIↃ IↃCC XXXVI D. XI KAL. MAIAS

RELICTO MAGNO SVI DESIDERIO

VINDOBONAE PANNONVM

MORTVVS

PVBLICEQVE ELATVS

AD D. VII IDVS QVINTILES

SOLEMNI EXSEQVIARVM POMPA

AVCTORITATE PVBLICA

VELVT IMMORTALITATI CONSECRARETVR

PRO VIRIVM SVARVM MODVLO

II PROSECVTVS EST

DANIEL HAYNOCIVS

C

Quantum laetitiae ac voluptatis, Auditores omnium ordinum Spectatiſſimi, hoc tempore orbis Chriſtianus capit ex eo, quod Principes Europae, qui, tribus abhinc annis, arma ſumpſerant, multis illatis acceptisque cladibus, ad conſilia pacis iam deſcendant; tantum doloris ac luctus, cum toti reipublicae Chriſtianorum, tum in primis AVGVSTAE DOMVI AVSTRIACAE, omnibusque eius regnis ac prouinciis, dies vndecimus Calendas Maias, anni huius, a reparata humani generis ſalute, ſupra milleſimum ſeptingenteſimum triceſimi et ſexti, attulit. Hoc enim die rebus humanis exemptus eſt, qui, de orbe Chriſtiano optime immortaliterque meritus, virtute ſua, felicitateque rerum geſtarum, id effecit, vt, dum ipſe aeterna quiete perfrui incipit, Principes etiam, qui adhuc inter ſe diffidebant, ab armis diſcedant, et controuerſiis, mutua conuentione, inter ſe componendis, omni ſtudio in eam curam incumbant, vt Italiae ac Germaniae, finitimisque regionibus, pax et tranquillitas, omnibus votis exoptata, reddatur. Amiſit eo die AVGVSTA CAESARVM DOMVS virum, quem non ſolum domi, ſummis honoribus cumulatum, ſanctiſſimorum quorumque conſiliorum conſcium, arbitrumque, habuit, ſenatuique illi, quem penes rerum bellicarum cura moderatioque eſt, praefecit; ſed etiam, annis iam abhinc quadraginta, dignum cenſuit, cui, omnibus expeditionibus ac bellis, ſiue Turcicis, ſiue Gallicis, ſiue Hiſpanicis, ſumma imperii traderetur; idque ſucceſſu tam optato, vt, cum ille nullum, pro gloria AVSTRIAE, laborem, nullum periculum recuſaret, nullam vnquam ignominiam, nullum detrimentum acceperit, Vindobonamque ab hoſte nunquam non victor reuerterit. Luget Germania ſtrenuum ac felicem publicae ſalutis defenſorem, quem, ſemel atque iterum, communibus auxiliis cum imperio praeeſſe voluit, Allobrogem quidem natu, ſed qui iudicium atque exſpectationem omnium, de ſua virtute, ac fide, optime ſperantium, nunquam fefellit, priſtinamque Germanorum gloriam, a contemtu aliarum gentium, egregie vindicauit. Dolet Italia, libertatis ſuae aſſertorem, Beliſario,

Nar-

Narſeti, Aëtio, rerum geſtarum gloria, haud diſſimilem, viuere deſiiſſe, cuius illa armis victricibus id debet, quod Siciliam vtramque, Sardiniam, Mediolanum, Mantuam, ceterasque, iuris antea Hiſpanici, prouincias, AVSTRIAE, ad cuius imperium, mortuo Carolo, Hiſpano, iure optimo, pertinebant, vindicauerit; quod Victori Amadeo, *Sabaudiae ac Pedemontii Duci*, Caeſaris iam tum partes ſecuto, aduerſus Gallos, non longi temporis victoria inſolentes, atque vaſtata fere omni regione, Auguſtam ipſam Taurinorum, Principis ſedem, arctiſſima obſidione premere, ſummisque viribus oppugnare, auſos, opem tulerit, eumdemque, iam fere exſulem, et ab ſolo patrio extorrem, caeſis partim, partim profligatis oppugnatoribus, ditioni ſuae et honori reſtituerit; quod, vt alia merita praeteream, Venetorum rempublicam, bello Peloponneſiaco preſſam ac laborantem, magnoque negotio impetus barbarorum mari ſuſtinentem, ipſe terra dimicans, diſtractis Thracum copiis, metu tyrannidis Ottomannicae liberauerit. Queritur Pannonia noſtra, inuictum propugnatorem, amplificatoremque ſui imperii, fato ſibi ereptum eſſe, Coruinianis, Zapolyitanis, et aliis, quos patria noſtra vnquam vidit, eximia, et plus quam humana virtute, heroibus longe excellentiorem, quam ille totam, tot annos, bellis vexatam, a barbarisque paene oppreſſam, non ſolum in priſtinum reſtituit, ſed etiam, depulſa inueterata ſeruitute, remoto ſqualore ac luctu, reiectis ad Pontum Thracibus, recuperatis vrbibus, ac prouinciis, inductis in ſolitudines coloniis, felici temporum reparatione, permultum ornauit, reparauit, cumulauit. Moerent Belgae protectoris et gubernatoris ſui mortem, quos ille, Gallica ſaeculi huius ineuntis tempeſtate, perturbatos ac iactatos, inter grauiſſimos fortunae ac periculorum fluctus, ita virtute ſua rexit, ac ſeruauit, vt ipſe quidem, rebus praeclare geſtis, compoſitisque pace Badenſi motibus, in praemium induſtriae ſuae ac virtutis, multos deinceps annos, ad clauum reipublicae ſederet, prouinciis autem omnibus, tum iuris Auſtriaci, tum foederatis, ad hodiernum vsque diem, in otio inconcuſſo, velut ad ancoram, iacentibus, non tranquillitas, ſed malacia data eſſe videatur.

Orba

Orbatus eſt exercitus Caeſareanus principe ducum ſuorum, et prudente rei militaris, et diligente; et manu forti; et conſilii pleno; cuius ductu toties victor rediit, quoties ſuſcepta eſt expeditio; tot triumphos egit, quot inita proelia; tot vrbes ac munimenta coepit, quotquot obſidionis, aut oppugnationis, periculum experiri, quam ſe dedere maluerunt; cui non milites ſolum, ſed ipſi duces reliqui, ac ſocii, vna ſibi relicta obſequii gloria, virtutis ſuae regimen, nullo non tempore ac loco, quam libentiſſime permiſerunt.

Credo ego, Auditores, Vos iam per ſe intelligere, ad quem virum hae laudes pertineant, quoue noſtra tendat oratio. Etſi enim nomine eius hic, qui dicendi fecit initium, adhuc abſtinuerit, ſiue ductus veneratione, quam Heros iſte laudabilis meruit, numquam ſine honore nominandus; ſiue dolore, quem poſt ſe reliquit maximum, prohibitus: quis tamen tam peregrinus in Europa eſt? quis tam rudis rerum, noſtra, patrumque memoria, geſtarum? qui non, ſuapte ſponte, intelligat, nos verba facere inſtituiſſe de illo ſaeculi noſtri Scipione; de inclito illo, et ad omnem poſteritatem memorabili orbis hodierni miraculo, Principe,

EVGENIO FRANCISCO,

natalibus quidem, *Sabaudiae et Pedemontii Duce, Marchioneque Salutiarum*, qui non, tam illuſtri hac gentis ſuae origine, quam virtute propria, egregiorumque facinorum, ac meritorum, magnitudine, orbem terrarum impleuit, poſtquam eam ab AVGVSTA DOMO AVSTRIAE iniiſſet gratiam, vt cuncto exercitui Caeſareano, totiusque Sacri Imperii Romani copiis praefectus, ad ſummos honores eueheretur, atque apud tres AVGVSTOS CAESARES, principem amicitiae locum obtineret. Tanti igitur Viri funus quis non lugeat? quis non magno dolore, et ſummis laudibus, proſequatur? quis non publice, priuatimue, quibus poteſt, officiis ſupremae pietatis ornet, atque cohoneſtet? Satis ille quidem gloriae vixit, comparata ſibi nominis immortalitate; ſatis naturae, annum ſeptuageſimum tertium ingreſſus, vt haud ſecus, ac pomum ab arbore, non vi auulſus, ſed maturitate ſua, ac pondere preſſus, decidiſſe

cidiſſe videatur; deſiderium ſui tamen apud optimos quosque tantum reliquit, vt, ſi quid optatis profici poſſet, viueret adhuc EVGENIVS, aut, Phoenicis inſtar, ex cinere ſuo reparatus, diuturniorem vitam ageret. Rara enim haec auis in Europa eſt, et, vt magna, eximiaque, non niſi ex interuallo, generantur, quingenteſimo quoque anno, vix ſemel naſcitur, vt ſua raritate tanto magis humano generi ſe commendet. Sed, quum vota hominum, quamuis religioſa, aduerſus eam legem, quae, ſcelerum vindex, nos in hac vita mortales eſſe voluit, nihil poſſunt: id, quod poſſumus, praeſtare ſtudeamus, demusque id operam, vt Heroi, de nobis omnibus tam praeclare merito, qualicumque ſupremi officii, atque honoris ſignificatione, pietatem noſtram declaremus. Perſoluta iam ſunt piis manibus iuſta Vindobonae Pannonum, vbi, non tantum funus, magna pompa, comitante magna ſummorum virorum frequentia, elatum eſt, ſed illi quoque, publica auctoritate CAROLI SEMPER AVGVSTI, decreti, ac habiti, honores mortuo contigerunt, qui neſcio, an vnquam vlli. Neque ſola AVSTRIA, quid de factis EVGENII ſentiat, ſingulari hac pompae funebris magnificentia, palam teſtatur, ſed nullus eſt Principum Germaniae, nullus exterorum, qui non decus hoc, atque propugnaculum imperii Chriſtiani, ereptum eſſe, doleat. Neque hoſtes, licet nuntio, nobis admodum triſti, in ſinu gaudeant, diffitentur, quantum praeſidii atque ornamenti, caſu hoc, Germania amiſerit, ſed, quemadmodum, in hoſte quoque, virtutem admirari, ac laudare, pulchrum eſt; ita, ſublatam nunc ex oculis, laudibus in coelum extollunt, quam praeſentem, non ſecus ac fulmen, metuebant. Viro igitur huic, omnem eloquentiae vim ac praedicationem ſupergreſſo, nobis, ſacrum parentale celebraturis, verendum quidem erat, ne temeritatis notam apud pleroſque incurramus, dum ſoli meridiano, in ſe ſatis claro, ſuccenſa quaſi facula, lucis aliquid affundere velle, neque ſatis exploratis, ingenii, atque eloquentiae, viribus, plus in nos oneris, quam ſuſtinere poſſumus, recipere videamur; cum ad laudationem diuinarum virtutum, et ingenio diuino, et lingua plus, quam Tulliana, ſit opus: ſed hi, ſi cordatiores ſunt, inſtituto

noſtro facile dabunt veniam, ſcientes, mola ſalſa litare illos, quibus non eſt thuris copia; ſin ſocordes, eorum rationes nihil moramur. At vnde, quaeſo, ordiemur? aut vbi finem dicendi inueniemus? Tanta enim ſe hic prodit ad dicendum affluentia, vt ipſa multitudine mens ſtupeat, neque, quid primo, quid ſecundo loco, explicandum ſit, ſatis videat, ipſaque copia ad inopiam redigatur. Et quis tam exercitatus? quis tam omnibus ad dicendum ſubſidiis inſtructus, qui EVGENIVM pro dignitate ſatis commode lauder? qui non, etſi multa ſatis, praeclaraque dixerit, plura tamen, atque eminentiora, ſilentio ſit praeteriturus? Siſtat Graecia Demoſthenem, aut Roma Tullium, neuter tantam laudum vbertatem vel dicendo exaequabit, vel cogitando ſatis aſſequetur, niſi quis forſitan, cum Iſocrate, aliquot annorum ſpatium, ſibi ad hoc implendum ſumat, qui licet Rhetor fuerit clariſſimus, ex eiusque ludo, tanquam ex equo Troiano, innumeri oratores principes prodierint, vnum tamen panegyricum, decem annorum interuallo, vix emendatum abſoluit. Cum tantis viris, atque oratoribus, quum nos, tenuitatis nobis conſcii, ne minima quidem ex parte, comparandi ſumus, tirones adhuc, et infantes in dicendo, nihil perfecta nobis exſpectabitis, Auditores, qui, nuda, nulliſque vel elegantiarum floribus inueſtita, vel dignitatis luminibus exornata, vel exquiſitis concinnitatis vinculis adſtricta, rerum commemoratione, atque officio pietatis contenti, aliis ſiue in hoc, ſiue alio argumento, vires ſuas exercentibus, et ingenii cultioris, et ſtili nitidioris, laudem libenter relinquimus. Vt enim a magnis ingeniis non niſi magna, etiam in paruis rebus, exſpectantur: ſic a paruis ingeniis, ſiue parua, ſiue magna, molientibus, quid niſi paruum quidpiam proficiſci poteſt? Ne vero multitudine dicendorum nos ipſi obruamus, vtemur delectu, ſummamque totam ad praecipua tantum capita reuocabimus, atque imitatione eorum, qui vaſtum terrarum orbem, exiguae imaginis conſpectu, ob oculos proponunt, perfectum imperatoris exemplar, in EVGENIO ad ſpectandum ſiſtemus, demonſtraturi, neque excellentem rei militaris ſcientiam, neque inſignem virtutis praeſtantiam,

nec

nec validum auctoritatis robur ac pondus, nec denique perpetuam rerum geſtarum felicitatem eidem defuiſſe. Priusquam vero ad ipſam rem accedamus, nomine reliquorum omnium, qui ex hac ſcena prodituri ſunt, ea, qua poſſum, obſeruantia, et cultu, Vos rogandos duxi, Auditores omnium ordinum ſpectatiſſimi, vt, quo rudiores adhuc imperitioresque, in arte dicendi ſumus, hoc patientius, pro veſtra eruditione, ſapientia ac humanitate, quae ſumma eſt, nos audire velitis. Date id, ſi non precibus noſtris, meritis tamen EVGENII, vt nos indiſertos eius laudatores, patientia in audiendo, aequitate in iudicando, beneuolentia in ſuſcipiendo hoc pietatis officio, ſubleuetis.

❀ ❀ ❀

Sunt, qui inter decora boni imperatoris ponunt, requiruntque natalium ſplendorem, ac generis nobilitatem, quaſi non bene praefuturus ſit exercitui cum imperio, qui humili obſcuroque loco natus, ad tam ſublime illuſtreque honoris faſtigium conſcendit. Nec deſunt, qui reliquis addunt prudentiam, vt is, penes quem in caſtris ſumma imperii eſt, conſilio ac ratione vtatur, ne quid temere, incaute, praecipitanterque agat, cuius eum mox poenitere poſſit, neue eorum quidquam negligat, quae belli neceſſitas poſtulat. Neutrum quidem horum defuit EVGENIO. Sed nec video, cur a numero, ex quatuor ſingulis conflato, quem Pythagoras, Philoſophorum coryphaeus, ceterorum numerorum diuiniſſimum, et ſummis quibusque rebus debitum, atque conſecratum, aſſeuerabat, recedamus. Neque principi Romanae eloquentiae, Ciceroni, quisquam adhuc dicam erroris ſcripſit, quod, quum ſummum belli ducem formare vellet, quatuor partibus munus eius abſolutum pronuntiauerit. Enimuero, quod ad natalium fortunam attinet, quid hoc, quaeſo, ad bellicas laudes? vtrum quis cum Miltiade, et antiquitate generis, et gloria maiorum, vnus omnium floreat maxime; an vero cum Iphicrate ſit cerdonis filius; tantus vero imperator, vt non ſolum aetatis ſuae cum primis comparetur, ſed ne de maioribus natu quidem quisquam ipſi anteponatur. Quod vero ad alterum, prudentia

reliquarum virtutum ambitu continetur. Sed mitto haec, de rebus enim maioris momenti habemus dicere, quas vero, ne veſtra, Auditores, patientia abuti videamur, non niſi breviter, et capitulatim, attingemus.

Prima, vt dictum, imperatoris laus eſt, **ſcientia rei militaris**, quae niſi adſit, et ſe cum exercitu, ſuae curae commiſſo, et principem, a quo imperium accepit, ibit perditum. Quomodo enim is reget multitudinem, aut exercebit in armis? quo ſucceſſu bellum adminiſtrabit? quam ſibi de hoſte polliceri poteſt victoriam, qui artes bellicas, iuxta cum ignariſſimis, ignorat? Male res agetur in bello, ſi ducum maximus, ex praeſcripto inferiorum agat, ſi ab aliorum arbitrio pendeat, ſi non niſi, vt piſcator, ictus ſapiat, ſi, quoties durius aliquid acciderit, ad illam, iudicio Fabii, imperatori turpiſſimam excuſationem confugiat: *Non putaram?* Eius generis imbelle, inersque caput, ſi praeeſit bello, quid turba militaris aliud erit, quam corpus ſine ſpiritu? currus ſine auriga? grex ſine paſtore? navis ſine gubernatore? Romanam certe rem, ducibus, quam exercitu, validiorem, Liuius iudicat. Thebanam vnus Epaminondas ſeruauit. Hic enim, quum videret, imperiti ducis errore, eo deductam fuiſſe multitudinem, vt iam in extremo caſu omnes verſari viderentur, et de ſalute pertimeſcentes, ab eo opem peterent, quem propter inuidiam exercitui praeferre noluerunt, ipſe, caritate patriae ductus, licet priuatus militis numero haberetur, contumeliae tamen oblitus, exercitum, obſidione liberatum, ex anguſtiis incolumem domum reduxit; vltimo autem proelio, cum ex vulnere a viribus iam deficeretur, licet victor, paullo ante mortem, auctor fuit ciuibus, vti ſine cunctatione pacem facerent, videns, Diaphantum, et Iollidam, quibus plurimum tribuebat, in acie cecidiſſe, qui autem rebus gerendis praeficeretur, idoneum ſupereſſe neminem. Idem ſenſit Ioannes Hunyades, feliciſſimus quondam regni noſtri adminiſtrator, ac propugnator, qui non ſolum dicere ſolitus eſt, ***hirundinum phalangem, moderante aquila, valentiorem eſſe, quam aquilarum legionem, imperante hirundine***, id eſt, pluris eſſe ducem bonum cum malo exercitu, quam bonum

exercitum cum duce malo; ſed etiam, id verum eſſe, proprio exemplo confirmauit, dum talem ſe in exercitu Hungarico praebuit imperatorem; vt omnibus illo tempore apparuerit, niſi ille vnus fuiſſet, Hungariam futuram non fuiſſe. Quod autem Turci, Coruinianorum tempore, idem Numantini, bello Punico, ſuo damno experti ſunt, quantum ſcilicet princeps ducum valeat, qui magnam rei militaris prudentiam habet. Hi enim, obiurgati a ciuibus, quod, qui ante fugaſſent hoſtem, nunc ignauiter fugiant, reſponderunt: *eadem quidem in exercitu Romanorum eſſe pecora, quae fuerant; ſed non eumdem paſtorem*: illud innuentes, vnam mutatae fortunae cauſſam eſſe Scipionis imperatoris virtutem. Turcos autem, cladibus ab Ioanne acceptis, tantus inceſſit timor, vt Coruini nomen toti Aſiae fuerit formidabile; in Europa vero prudentiſſimus quisque iudicaret, Ducum hunc, non *Achiuorum* modo, quod de Achille Homerus ſcribit, neque tantum Pannoniorum, ſed vniuerſi orbis Chriſtiani *murum* fuiſſe, et velut molem, ad impetus hoſtium reprimendos, obiectam. Sed dies me prius, quam exempla in hanc rem, deficerent. Quis enim eſt tam ignarus hiſtoriarum, qui non ex monimentis, ſiue Graecorum, ſiue Romanorum, ſiue domeſticorum annalium, didicerit, plures duces, ſcientia et ingenio, quam manu et armis, bella, ex animi ſententia, confeciſſe.

Haec vero peritia non comparatur, niſi quis et ex fontibus veterum aeque, ac recentiorum, ſcriptorum, diſciplinam militarem hauriat; et illos habeat virtutis ſuae duces, qui non ſolum ipſi, tempore bene longo, ſtipendia meruerunt, ſed ſummam quoque imperii praeclare moderati ſunt; et denique vſu, atque experientia propria, in rebus tam arduis, plenisque laborum, ac periculorum, confirmetur. Neque militem tantummodo eſſe ſufficit, ſed philoſophum quoque, oratorem, iuris conſultum, et cum ab aliis pulcherrimarum diſciplinarum ſubſidiis, tum praeſertim mathematicarum probe inſtructum eſſe oportet. Quanta enim vis atque efficacia, ad tuendam boni ducis perſonam, in ſcientia rerum naturalium inſit, id quidem tam eſt manifeſtum, vt probatione nihil egeat, et nu-

per admodum in publica Commentariorum Caeſaris expoſitione, vno, in vrbe Alexandrina, depulſi periculi exemplo, declaratum eſt. Vbi, quum Caeſaris exercitus aquae dulcis inopia laboraret, omnesque iam extremum caſum pertimeſcerent; caſtrenſis hic philoſophus, ſciens, omnia litora naturaliter venas aquae dulcis habere, neque aliam eſſe litoris Aegyptii naturam, atque reliquorum, foſſis puteis, vna nocte, et ſuorum ſaluti conſuluit, et operoſis hoſtium machinationibus, feliciter, celeriterque, occurrit. Quod Caeſaris conſilium, ab naturali ſollertia ſubminiſtratum, quantopere omnes admirabantur, tantopere et Alexandrinorum inſcientiam, qui, ex quo vrbs erat condita, ad has cogitationes, quas Phyſica ſuggerit, numquam deſcenderunt, ſed aquam, quae vel per ſpecus in priuatas domos ex Nilo inducta, paullatim ſpatio temporis liqueſcebat ac ſubſidebat, vel, quae flumine adhuc ferebatur, ſorbillarunt, adeo limoſam atque turbidam, vt multos varios que morbos efficeret. Nihilo vero minus in eloquentia ducis ſitum eſt. Viri quidem, militiae nati, factis ſolent eſſe magni, ad verborum autem et linguae certamina rudes. At, quantam eloquentia vim habeat, ſiue ad excitandos militum animos, ſiue ad componendas in caſtris ſeditiones, ſiue ad minuendum in aduerſis timorem, ſiue ad alios bellorum caſus, hiſtoriae loquuntur, vt non imperite Onoſander iudicauerit, neque exercitum ſine imperatore, neque imperatorem ſine eloquentia, vlli omnino reipublicae mittendum eſſe. Vt enim equos frenis verſamus; ita militum animos regit ac flectit oratio, in quamcumque partem neceſſitas praeſens poſtulat. Lupum quidem, aiunt, auribus non teneri: at populum auribus maxime, vt Plutarchus ait, duci, oportet. Enimuero Epaminondas, non minus oratione, quam pugna Leuctrica, opes Lacedaemoniorum concuſſit: Scipio Africanus in primis eloquens fuit: Caeſar verbis ſaepe, quam legionibus, potentior. Mitto Periclem, Themiſtoclem, aliaque Graeciae lumina; taceo Lucullos, Fabios, Marcellos, alioſque imperii Romani duces, non bellandi magis, quam concionandi arte excellentes: propiusque accedo ad Scipionem noſtrum, non Africanum illum,

lum, maiorem minoremue, ſed maximum illum, qui aetate noſtra floruit, manitudineque rerum armis geſtarum illuſtris, Turcicus, Gallicus, Hiſpanicus, a poſteris dici meruit. Nihil enim huic defuit eorum, quae ad ornandas, tuendasque officii imperatorii partes, faciunt: non gloria maiorum, et antiqua generis claritas, non litterarum amor, ampliſſimaque rerum, publicae ſaluti vtiliſſimarum, intelligentia; non magiſtrorum caſtrenſium, quos coluit, et a quibus diſciplinam militarem percepit, pace non minus, quam bello, illuſtrium, felicitas; non denique propria, quae animum, praeceptis imbutum frequenti rerum vſu, confirmatiorem effecit experientia.

Atque originem quidem duxit ex Allobrogibus, ex inclita, heroumque complurium partu, feliciſſima, *Ducum Sabaudiae ac Pedemontii, Marchionumque Saluciarum* gente procreatus. Patrem enim habuit EVGENIVM MAVRICIVM, Sueſſionum *Comitem*, matrem OLYMPIAM MANCINIAM, Iulio Mazarino, Pyreneae pacis conciliatori, cui rex Galliarum omnes ſuas victorias, et pacati, aſſertique regni gloriam, ſe debere, palam ſaepe numero profeſſus eſt, propinquitate ſanguinis coniunctiſſimam. Auus ſtirpis paternae fuit THOMAS FRANCISCVS, Victoris Amadei I. *Ducis* frater, Caroli Emanuelis, qui egregiis facinoribus Magni nomen adeptus eſt, nepos. Tam excelſo loco, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo ac tertio, die XV. Kalendas Nouembres, natus, generoſae ac diuinae indolis beneficio, inter domeſtica virtutum ſplendidiſſimarum incitamenta, ſic adoleuit, vt nihil non magni in animo, bonis artibus liberaliter perculto, eluceret, maximamque apud omnes exſpectationem de ſe concitaret. A parentibus ſacerdotum ordini deſtinatus, quum animaduerteret, maturo iam ſatis iudicio, talem perſonam ab natura ſibi non eſſe impoſitam, ad ea detrudi, quae ſui ingenii non erant, ſalua in parentes pietate, religioneque animi in DEVM, noluit, ſed curatius expendens, quid ſui maxime haberet, in iis potiſſimum rebus, ad quas aptiſſimus erat, cenſuit elaborandum, ne quid inuita, vt aiunt, Minerua, id eſt, ad-

ver-

verſante ac repugnante natura, faceret. Ita ſuum vt optime explorauit ingenium, regula naturae ſtudia ſua metiri coepit, atque, vt heroicum ſanguinem ac ſpiritum ex maioribus hauſerat, ita, horum imitatione, ad ſtudia rei militaris animum adiunxit. Sed ad militiam inclinato, rerum gerendarum, et cumulandae, quam a maioribus acceperat, bellicae gloriae, opportuna domi defuit occaſio. Quamobrem, vbi ſperni ſe vidit a Gallia, Germaniam adire, animum induxit, atque ſedem fortunarum ſuarum, AVSTRIAM, delegit. Huc, diuini Numinis nutu, miſſus hoſpes, voti ſui eſt damnatus, peruenitque in eam arenam, vbi virtutem ſuam exercere, artes bellicas a clariſſimis, ea tempeſtate, ducibus perdiſcere, fidemque et obſequium LEOPOLDO CAESARI probare potuit. Implicita enim tum fuit AVSTRIA bello, contra Turcos difficillimo, quod tamen iam tum ea fortuna gerebatur, vt, licet hoſtis immaniſſimus, qui agros, cultum, et copias Hungarorum adamauerat, proſperis ſucceſſibus inflatus, ipſam Germaniam inſana libidine petere, et cum innumerabili ſuorum multitudine, principem imperii Chriſtiani vrbem, auguſtam CAESARVM ſedem, Vindobonam, obſidere, oppugnareque, nihil dubitaret: caeſus tamen, profligatus, caſtriſque exutus, rebus infectis, cum ignominia hinc deceſſerit. Quanta, eo tempore, tota Hungaria fuerit trepidatio, quum feri, ac barbari homines, diurnis nocturniſque itineribus, in fines Germaniae contenderent; illi norunt optime, qui, adhuc ſuperſtites, grauiſſimae illius tempeſtatis recordantur. Omnes enim, rei nouitate, et periculi magnitudine, perturbati, armane capiant, an fuga ſalutem petant, claudantne portas, et ſe defendant, an legatos, atque obſides hoſti obuiam mittant, et ſua ſponte barbaros oppidis recipiant, conſilii inopes, dubitarunt. Sed immemores cladis, Imperatore CAROLO V. hic loci, annis ante centum et quinquaginta quatuor, acceptae, ſpe ſua decollati, Thraces, ſoluerunt iuſtas, pro iniuriis illatis, poenas, quando, licet nihil intentatum relinquerent, omneſque in oppugnatione vrbis acerbitates perferrent, tamen non ſolum oppugnandi conſilium neceſſario dimiſerunt, et multis cladibus affecti, maiori, quam

adue-

aduenerant, celeritate omnes deuolarunt, proiectis armis, ſpoliis, captiuis, obſidibusque, vnam in fuga ſalutem ponentes, ſed etiam, breui poſt tempore, Deo, ſcelerum humanorum vindice, poenas grauiores repetente, ipſam quoque Budam, vetus regni Hungariae caput, aliasque vrbes, quas nullo iure ſtipendiarias tenebant, amiſerunt. Praeerat iam tum Heros noſter veteranis Kufſtainiae legionis equitibus, et ſe ita geſſit ad Budam, ex diuturna tyrannide recuperatam, vt non exigua victoriae illius pars ei tribueretur. Hic enim, quia, aliis impetum in vrbem facientibus, ipſe, cum equitatu ſuo, caſtris praeſidio relictus erat, aegre id tulit, quod ſpectatoris potius, nihil quidem non agentis, quam oppugnatoris, partes ſibi delatae fuerint, nec ſeſe tenere potuit, quin, ſociis ſigna iam victricia muro defigentibus, dolore, ſtudioque pugnandi accenſus, facta, vt ſibi imperatum erat, irruptione, cum legione ſua, proximam irrueret, perfringeretque, portam, atque, vrbem ingreſſus, magna ſtrage edita, ſuis, acriter pugnantibus, eſſet auxilio, hoſtibus perturbatis exitio, vtrisque documento, qualis aliquando ſit futurus imperator. Gerebantur autem haec bella, ductu virorum magni nominis, primum quidem, CAROLI, *Lotharingiae Ducis*, poſt, LVDOVICI, *Badenſium Marchionis*, qui in ſocietate ſuorum laborum, et MAXIMILIANVM, Bauariae Ducem, et AVGVSTVM, Saxonem, Poloniarum Regem, aliosque fortiſſimos Europae Principes habuerunt. Tantis Ducibus, EVGENIVS ſtipendia meruit, et tirociniis militiae feliciter depoſitis, notiſſimam ſibi rerum bellicarum ſcientiam, atque vſum, comparauit, vt, auguſto CAESARIS iudicio, dignus videretur, qui, his decedentibus, reliquis omnibus antepoſitus, faſces bellicos capeſſeret. Nec minus in arte ſua profecit aſſidua librorum lectione, laudabile Alexandri M. et CAROLI V. CAESARIS, aliorumque exemplum imitatus: quorum ille Homerum tanti fecit, vt numquam Iliadem non comitem haberet, vtereturque eo, non ſecus, ac militaris virtutis viatico; hic vero nullum vmquam librum impenſius legit, quam Caii Iulii Caeſaris Commentarios, laudabili aui ſui, MAXIMILIANI, exemplo, ſine dubio prouocatus, qui, vt memo-

memoriae proditum eſt, etſi, pro ſapientia ſua, fidem Iulii, de ſuis ipſius rebus, magnificentius forſitan, quam verius, ſcribentis, ſuſpectam haberet, volumina tamen eius tanti fecit, vt non ſolum dictis eius, rebusque geſtis, delectaretur, ſed, ad imitationem eius, res quoque ſuas, patrio ſermone, conſcribere, firmiter in animum induceret. Henricum pariter, inter Reges Gallorum, nominis huius quartum, et Ludouicum, quartum decimum, eodem animo in Commentarios Iulianos fuiſſe, accepimus. Vterque enim eosdem, regiis manibus tritos, in Gallicam linguam transtuliſſe, fertur. Idem dicerem et de Alphonſo, qui, inter Reges Hiſpanorum, ſingularis doctrinae laude, nomen Sapientis obtinuit; idem de Iacobo, Britanniae Rege; idem de aliis ſummis viris, qui, incredibili Caeſaris ſtudio flagrantes, eumdem vel domi in deliciis habuerunt, vel etiam militiae comitem ſibi adſciuerunt; ſed nolo exempla, vel loco, vel aetate ſemotiora, arceſſere; quum in caſtris CAESARIS, recentiore aeuo, reperti ſunt ſummi duces, et virtute omni, et arte militari, ſpectatiſſimi, qui Iulianis libris multum tribuerunt. Fecit hoc in primis laudatus ſupra Herois noſtri magiſter caſtrenſis, LVDOVICVS, qui, quoties tantum otii ab re bellica ſibi fuit, Caeſarem, nocturna, diurnaque manu, verſauit, neque vnquam mentem exſatiare legendo potuit, idemque EVGENIO, quem in oculis ferebat, diligenter commendauit, vt neque hunc vmquam minus ſolum reperiſſes, quam dum ſolum, numquam minus otioſum, quam dum otioſum. Nec impenſae legendo Caeſari operae poenituit vmquam EVGENIVM, optandumque eſſet, vti omnes, qui rebus bellicis praeeſſe volunt, idem faciant, magnum profecto laboris fructum percepturi. Ex his enim Commentariis ille diſcebat, qui duces ac milites ſint legendi; quomodo belli apparatum facere; quo loco caſtra ponere; qua ratione aciem inſtruere; manu cum hoſte confligere; defeſſis labore pugnandi integros ſubſtituere; vacuas cohortes in promptu ſemper habere; proelia committere; in cornu diſcurrere; aciem hoſtium frangere; ordines perturbare; pugnam mutare; impetum facere, aut ſuſtinere; vrbes, arces, caſtra, oppugnare propugna-

pugnareue; militem conſcribere, exercere, explorare, cohortari, conſolari, incitare, cohibere, increpare, collaudare; rem frumentariam expedire; conſilia ſimulare, diſſimulare; hoſtem pabulatione, commeatu, aqua, ligno, fuga, prohibere; pontes facere; exercitum flumen transducere oporteat; quibus artibus hoſtis ſit circumueniendus, ac fallendus; quae diſciplina militaris ſeruanda; quomodo ſocii in officio retinendi, in fide confirmandi; qua moderatione dedititii excipiendi; victi tractandi; qua ratione fugientes perſequendi; ſpes aduerſariis minuenda, ſuis augenda; res ſecundae, aduerſaeue, ferendae; temporis opportunitate, victoriaue, vtendum ſit: etſi aliae ſunt hodie bellandi, quam olim fuerunt, rationes. Turcorum ſane tyrannus, Solymannus, poſtquam intellexit, a CAROLO V. libros Caeſaris tanti fieri, tamque diligenter legi, et praeceptis, paſſim illic traditis, in rebus, bello paceque, gerendis, magno reipublicae Chriſtianae commodo, illum vti; operae pretium ſe facturum exiſtimauit, ſi et ipſe librum, tam vtilem, in ſuos vſus conuerteret, atque, vt illud aſſequeretur, in linguam Arabicam transferendum curauit. Factum eſt ex eo tempore, vt barbari, conſiliis Caeſaris vſi, rem ſuam in maius promouerent, nobis autem tanto plus adferrent detrimenti. Idem de Selymo, eiusdem gentis dominatore, memoriae proditum eſt. Hoc ſi faciunt homines feri, litteras non tam honeſtatis, quam vtilitatis, pretio aeſtimantes; quid oportet facere Chriſtianos, non principes ſolum, ad res ciuiles, ſed duces quoque, ad res bellicas, tanto melius feliciusque tractandas, vt ars eadem arte deludatur. Fecit hoc EVGENIVS, et, veſtigia LVDOVICI, cuius ab ore totus pendebat, ſecutus, eum tulit laboris fructum, vt vim barbarorum infringeret, vix vmquam inſtaurandam. Sicut autem hiſtorias, et reliquas artes meliores, in communeque vtiliores, in pretio habuit; ita, vt Maecenatis laudem ſuam faceret, non ſolum ipſe doctus fuit elegantiſſime, ſed alios etiam doctos viros magni fecit, cultoresque litterarum liberaliter fouit, vt habeant Muſae, cur patroni ſui obitum deplorent. Teſtantur hoc non viuae ſolum columnae, quas ſuo ſumptu, ac munificentia, excitauit, publicis iam vtilitatibus in-

ſerui-

ſeruientes; viros intelligo, pacis ac belli artibus praeclaros; nec tantum codices, ac monimenta vetuſtatis, quae in bibliothecam ſelectiorem, ſumma diligentia, raroque exemplo, collegit: ſed etiam Academia Vindobonenſis, et Bruxellana, prudentiſſime EVGENII conſilio, ſapientiſſimique CAROLI AVGVSTI munificentia, conditae, vbi iuuentus in architectonica, ciuili ac militari, geometria, aliisque tum mathematicis, tum ceteris diſciplinis elegantioribus, propoſito diligentioribus praemio, exercetur, atque ad vſus publicos praeparatur. Sed quid hic teſtimoniis opus eſt, quum res ipſa ſit in propatulo, et mutae quoque ſtatuae Muſarum, quae pompam eius funebrem ornabant, loquantur? Quibus enim ea felicitas contigit, cenotaphium illud videndi, quod Vindobonae, in baſilica D. Stephani, auctoritate publica, ſupremi honoris gratia, menſe Iulio, dubium, maiorene CAESARIS magnificentia, an elegantiore architectorum Minerua, exſtructum fuit; illi obſeruare et cernere poterant, inter multa pegmatis huius ſimulacra, artes quoque ſeptem liberales, architectonicam nempe ciuilem, ſtatuariam, pictoriam, muſicam, rhetoricam, poeſin, matheſin, cum architectonica militari, in prominentioribus totidem podiis aſſediſſe, quae habitu, geſtuque, ad omnem moerorem compoſito, ſingulae vna manuum inſignia ſua, altera facem mortualem gerentes, ſummum in EVGENIO, morte ſibi erepto, Maecenatem lugebant. In his, vt reliquas, ſtudio breuitatis praeteream, quinto loco poſita, quid aliud, elinguis ipſa, loquebatur, quam obmutuiſſe oratorem illum caſtrenſem, qui, ſiue in appellandis militibus, ſiue in ferendis ad iudicia ſententiis, ſiue in conſiliis dandis, ſiue in obeundis legationibus, artem dicendi, non tam longa verborum ſerie, quam exquiſitis ſententiarum ponderibus, CAESARI eloquentiſſimo, approbauit. Pauci quidem ſermonis fuit, plus ſapientiae animo continens, quam inanium ampullarum, et verborum ſeſquipedalium ore iactans; ſermone lenis, minimeque pertinax; non, vt ille apud Comicum, plenus rimarum, qui hac atque illac perflueret, aut putaret, ſermonem in ſuam poſſeſſionem veniſſe: vbi tamen tempus poſcebat, ita diſertus, vt dicendo in primis valeret, et quia tot

pon-

pondera, quot verba, proferebat, animos omnium in ſui admirationem, et obſequium flecteret. Teſtis huius rei eſt DOMVS AVGVSTA, cuius tot annos a ſanctioribus conſiliis fuit: teſtis Britannia, cuius Reginam legatus, a CAESARE miſſus, adiit; loquatur pro me et Raſtadium, vbi cum Villario, Regis Gallorum perſonam ſuſtinente, ipſe perſonam CAESARIS nactus, rationem pacis redintegrandae, ex ſententia ſui Principis, iniit: fidem denique verbis faciant exercitus CAESAREANI, ad quos toties orationes habuit, breues quidem et neruoſas, non tam multa, quam multum, vt alias ſemper, locutus. Ita vero prolata oratio, recto Euripidis iudicio, ea omnia conficit, quae nec hoſtilia arma conficere poſſunt. Munienda erant caſtra; omnium animos ad laborem incitauit: oppugnandae hoſtium munitiones; omnium mentes ad alacritatem, ſtudiumque pugnandi, accendit: acceptum erat aliquid detrimenti; dolore diſſimulato, deiectos erexit: oriebatur caſtris, aut vrbe, trepidatio; timorem omnium, conſolatione, et ratione, minuit: dubitabat quis de euentu ſecundo; ad ſpem victoriae concitauit: timebatur nihil in periculo; ſecuritatem excuſſit; inferenda erant in hoſtes ſigna; ſuos, militari more, cohortatus, ita permouit, vt ſtudio pugnae arderent omnes, victoriamque animo praeciperent, nec tam ſigno, tuba dato, quam oratione ducis, incitati, magna ſpe ac fiducia, nec minore animorum contentione, proelium committerent. Idque cum omnia eius et conſilia, et proelia, tum praeſertim memorabile illud, ad Taurunum in Pannonia, certamen confirmat, vbi infinitam fere barbarorum multitudinem, validis caſtrorum ſuorum munitionibus fidentem, CAESAREANIsque, vrbem, atque arcem, oppugnantibus, non minus verborum contumelia, quam tormentorum vi, proterue inſultantem, aggreſſurus, ad milites, et ſocios, conuerſus, Tenete, inquit, Commilitones, Sacramenti memoriam, et Imperatori veſtro, quam dediſtis, fidem probate. Faciam hodie, vt aut viuo mihi CAESAR, aut mortuo, gratias agat. Huius diei victoria in virtute veſtra conſtat, qui antea numquam vſu, manuque, meam de vobis opinionem fefelliſtis.

Vnum hoc proelium eſt, in quo non Hungariae ſolum, ſed totius orbis Chriſtiani ſalus poſita eſt. Veſtro ego ſanguine numquam abuſus, nunc quoque vos ad gloriam, et praedam, duco, neque officii mei partes deſeram. Memineritis, bellicoſiſſimos Germanorum exercitus, numquam, infecta re, ex proeliis diſceſſiſſe. Meo quoque ductu, multis iam annis, bella feliciſſime geſſiſtis, plurima proelia ſecunda commiſiſtis, Germaniam, Italiam, Belgium pacaſtis: huius quoque hoſtis, et ad Zentam et Petrouaradinum, et Temeſuariam, periculum feciſtis. Multitudinem aduerſariorum nihil metuamus, qui DEVM, perfidiae vindicem, nihil veriti, non aequitate, ſed potentia, ac vi nituntur. Quicquid vero habuerunt roboris, id omne iam interiit. Si ipſas cauſſas, quae inter ſe confligent, contendamus, exploratam habeo victoriam. Ex noſtra enim parte pugnabit pietas; illinc ſcelus: hinc fides; illinc fraudatio: hinc continentia; illinc libido. Me igitur ducem, et commilitonem veſtrum, ſequimini, et priſtinam inuictae virtutis Germanorum famam, CAESARISque exiſtimationem ac dignitatem, ab iniuriis defendite. In hanc ſententiam quum dixiſſet, tanta ſpe ac laetitia omnium ex caſtris diſceſſum eſt, vt non ad pugnam, ſed ad victoriam, ſeſe duci crederent, perſuaſum habentes, de re tanta, et a tam perito imperatore, haud fruſtra confirmari. Itaque etſi in magnis difficultatibus res erat, ſecundiſſimum tamen proelium, perfractis munitionibus, factum eſt, vt et CAESARIS dignitatem vindicaret, et Pannoniae tranquillitatem recuperaret: tantoque glorioſior fuit victoria, quo hoſtis ſuperatu difficilior. Etſi igitur rem nusquam male geſſerit, hoc tamen loco in primis peritiſſimum ſe, atque exercitatiſſimum, ducem fuiſſe, luculentiſſimo teſtimonio comprobauit. Sed de ſcientia rei militaris ſatis.

Alterum boni imperatoris decus eſt virtus, cuius inſignis praeſtantia conſtanter in EVGENIO eluxit. Fruſtra enim ſunt arma, niſi virtute regantur, et adiuuentur. Saepeque accidit, vt vel contemtu diuini Numinis, vel imprudentia, ac ſecuritate, vel iniuſtitia, ac crudelitate, vel otio, ac luxuria, aliisque vitiis eorum, qui exercitibus praeponuntur, aduerſa

omnia

omnia cadant, atque aut victoria intercipiatur, aut facultas rei bene gerendae, quam fortuna obtulit, e manibus elabatur, aut clades etiam accipiatur funeſtiſſima, quam nulla deinde, neque temporis diuturnitas ſanare, neque induſtria reſarcire poteſt. Antonii quidem, luxu ac mollitie diffluentes, Catonibus imbellibus, et iuſtitiam vnice aequitatemque colentibus, in re bellica ſunt anteferendi; accepimusque Syllam, quamuis virum inflatum atque intolerabilem; Cariolanum, irae impotentem; Antiochum, immoderatum; Alexandrum, crudelem; duces vero non malos fuiſſe: at, ſi vitae integritas cum rei militaris laude, coniuncta ſit, ſi quis non hoſtem ſolum, ſed etiam ſemetipſum vincere ac moderari ſciat, ſi DEVM religioſe colat, propitiumque habeat, neque tam in viribus humanis, quam DEI immortalis praeſidio, ſpem victoriae ponat, neque bella vel iniuſta ſuſcipiat, vel iuſta iniuſte gerat, nae ille, vt Auguſto melior, ita felicior Traiano eſt futurus.

Atque, vt inde a religione mentis ordiar, quae principem locum inter ceteras virtutes tenet: Aiax quidem, Telamonius ille, quum, ad bellum Troianum profecturus, a parente admoneretur, vt non tam virtute ſua, quam deorum auxilio fideret, ſi rem praeclare gerere velit; ſuarum ille virium opinione ac fiducia inſolentior, ſuperbe reſpondiſſe fertur: *Ignauos egere auxilio deorum, ſe victoriam et gloriam per ſe reportaturum*: euentus tamen docuit, verum eſſe illud Camilli, apud Liuium, *Omnia proſpere euenire, colentibus Deum; ſpernentibus aduerſa:* quando, omnium Graecorum poſt Achillem fortiſſimus, omnium quoque miſerrimus, atque infeliciſſimus, exſtitit, actusque in furorem, ipſe ſibi vim ad vltimum intulit. Longe alia mens in DEVM fuit EVGENIO, quem ita ſancte integreque coluit, vt, ſuo exemplo, errorem eorum coarguerit, qui, a caſtris omnem diuini Numinis metum abeſſe, dictitant. Impiam enim ducebat vocem illam Aiacis, nullo homine, ne dum Chriſtiano, dignam; contraque ſalutare Tullii iudicium ſecutus, ſic omnino exiſtimabat, *Omnium hoc eſſe mortalium; fortunam a DEO petendam, a ſe ipſo ſumendam ſapientiam.* Quocirca, tum ſe cum Sci-

pione credebat, et magnum, felicemque, ducem futurum, ſi Numen coleret, et felicitatis opinione, magnam habiturum apud ſuos auctoritatem, ſi ab exercitu DEO carus crederetur. Huic enim tanto libentius obſequitur exercitus, cum quo Numen facere animaduertit, vt recte ſibi olim perſuadebat Ageſilaus. Itaque quoties in bellum proficiſcebatur, DEO, pro ſalute, tum publica, tum priuata, vota nuncupauit: quoties ex bello reuertebatur, eadem DEO perſoluit. In pactionibus religionem et ſeruauit ſemper, et ſeruandam diligenter inculcauit, ne periurio iratum DEVM ſibi redderet. Nec militum impietatem impune tulit, vt, quibus neque dextra, neque telum, deerat, illis nec deeſſet DEVS; vocem illam Mezentii deteſtatus, ſic exiſtimantis, illi eſſe DEVM, cui dextra, cui telum. Qua precandi formula quotidie ſit vſus, qua ſeſe, copiasque, ſuo imperio ſubiectas, diuino praeſidio commendare conſueuerat, id quidem copia eius, duobus abhinc annis, orbi litterato facta, clariſſime docet. Ex qua, ſi genuina eſt, patet omnibus, quam religioſe Numen coeleſte inuocauerit, digna, meo quidem iudicio, quae monimentis publicis ad verbum inſereretur, et ab omnibus, qui militiae dant nomen, in vſum quotidianum conuerteretur. Conſtitueram equidem eam hoc loco recitare, ſed, quoniam plura, certioraque, dicenda reſtant, vnicum hoc religionis EVGENIANAE documentum proferam. Rediturus bonis auibus Vindobona in Pannoniam, ad caſtra, anno ſaeculi huius decimo et ſeptimo, vt bellum, auſpicato iam coeptum, perſequeretur, acceſſit, officii cauſa, ad CAESAREM, atque eidem, valere iuſſo, teſtamentum, quo EMANVELEM, fratris ſui, LVDOVICI THOMAE, filium heredem ſcripſerat, mortalitatis ſuae, incertorumque belli euentuum, recordatus, tradidit. AVGVSTVS autem felicia quaeque diſcedenti comprecatus, Iam te, inquit, meum deſiderium, exercitusque meos, et omnia negotia, fortunasque, ipſam quoque ſummam imperii, ſuperioris imperatoris fidei, curae, virtutique, a cuius nutu ductuque pendeas, commendo. Sapienter, ac religioſe dictum: ſed, forte mentem AVGVSTI non ſtatim aſſecutus, diu

hae-

haeſitans, quisnam ille, cuius imperio, arbitrioque, rem in praeſens geri oporteat, reuerenter ſciſcitatus, IESVM eſſe, reſponſi loco, accepit. Hac tam pia interpretis religioſiſſimi voce laetatus, ſolicitudinem animo excuſſit, conceptaque magna ſpe, ac fiducia, hunc ipſum ſe ſibi imperatorem ſummum ſuppliciter ſemper depopoſciſſe, reſpondit, et, vt alias, ita hoc quoque tempore, vnum IESVM, ſibi comitem, IESVM, ducem, IESVM, ſtatorem, IESVM, ſoſpitatorem, IESVM, diuinae ſuae maieſtatis, aduerſus contumelias Muhamedanas, vindicem, votis feruentiſſimis, demiſſe implorauit: vt dubium ſit, vter de rebus diuinis reuerentius ſenſerit; dubium, maiorine dimittentis, an diſcedentis pietate in IESVM, religioſum illud colloquium, fuerit abruptum. Eius rei memoria ne intercideret, exſtaretque ſempiternum auguſtae in DEVM pietatis monimentum, protulit CAESAR aureum, gemmis magni pretii diſtinctum, crucis, IESVM ſuffixum gerentis, ſimulacrum, illudque abeunti dono dedit. Eadem hic mens fuit CAROLO, atque EVGENIO, quae olim Conſtantino M. Vt enim is, contra Maxentium, capitalem religionis Chriſtianae hoſtem, pugnaturus, nutu diuino, ſigna militaria cruce diſtinxit, vt, de cuius maieſtate agebatur, eius virtute ſe fidere, nihilque de victoria dubitare, palam declararet; ita hi, Conſtantes nominis Chriſtiani propugnatores, Magnique libertatis publicae aſſertores, plane confidebant, ſe in hoc ſigno victuros, id eſt, Chriſti auſpicio, ductu, conſilio, virtuteque, debellaturos hoſtem, Maxentio nihilo meliorem, viribus vero etiam potentiorem: id quod accidit. Eiusdem enim anni expeditione, religioſus hic DEI cultor, et Iſtrum, cuius ripae cuſtodiis barbarorum oppletae erant, ſine vulnere transiuit; et caſtra hoſtium oppugnauit; et Taurunum, imperii Thracici propugnaculum, deditione recepit. In qua triplici vnius loci victoria, tam manifeſta, diuinae opis, ac praeſentiae, veſtigia apparent, vt nemini ſit dubium, bonum hic potius genium, quam hominem, pro Chriſtiano orbe propugnaſſe. Ea enim felicitate exercitum nauibus transportauit, vt, licet magnam moram, ac difficultatem, aſcenſus in naues haberet, et ripae quam dili-

gentiſſime praeſidio hoſtium tenerentur, neque totus exercitus vna in nauès imponi poſſet, praeſertim cum re tormentaria; tamen, quia ſtudioſe dabat operam, vt propoſitum ſuum ab hoſte quam ſeriſſime cognoſceretur, ſola tranſitus ſui fama, id effecit, vt praeſidiis, panico terrore abreptis, ac diſpalatis, ſuos in ripam exponenti, reſiſteret nemo. Suſcepto autem, Tauruni oppugnandi, labore, plus quam Herculeo, coelum ipſum, quod partibus CAESARIS benigniſſime fauebat, tantam hoſtibus nebulam et caliginem offudit, vt, EVGENIO, ad caſtra oppugnanda progrediente, neque Vezirius, qui obſeſſis in ſubſidium venerat, videret, quid noſtri moliantur, priusque ſentiret, quam conſpicatus eſt, impetum; neque praeſidio praefectus, ſpiſſa aeris denſitate, proſpectum non ſolum, ſed etiam ipſam clamoris, tumultus, tormentorumque auditionem adimente, non prius animaduerteret, quid foris agatur, quam ſui, caſtris exuti, multis pereuntibus, in fugam coniecti, praecipites ſe hinc proripuerunt, praeſidiumque obſeſſum, et omni ſpe auxiliorum deſtitutum, deſeruerunt. Quis hic iam, quaeſo, ſaluum atque incolumen exercitum, flumen, tam late manans, transduxit? IESVS; quis cuſtodibus riparum terrorem incuſſit? IESVS; quis immanem totius orientis turbam, tam exigua Chriſtianorum manu, ex ſepimentis ſuis profligauit? IESVS; quis oppidanis, et praeſidiariis, aures, ne fragorem tormentorum exaudirent? quis oculos, ne tumultus dimicantium obſeruarent, clauſit? IESVS. Huic IESV, omnis ſalutis auctori, RELIGIOSISSIMVS CAESAR gloriam victoriae, tam praeclarae, acceptam retulit: huic Vindobonae ſupplicationem, ritu Chriſtiano, decreuit: huic vota perſoluit; magnum autem orientis domitorem, EVGENIVM, qui, quod ſuarum erat partium, diuinis ſuffultus viribus, ſtrenue obiit, ampliſſime, et honeſtiſſime, triumphantem, non ſolum honorificentiſſime, quum reuerteretur, accepit, ſed nouo etiam amoris, laetitiae, grataeque mentis indice, gladio, magni pretii, ſuo latere detracto, donauit. Si quod victoriae tam illuſtris monimentum publice eſſet erigendum, Phidiae, aut Praxitelis manus ſtatuam EVGENIO ponere deberet,

ret, qui, ferro accinctus, laurisque ornatus, dextra ſignum crucis teneret, ſalutaremque Chriſti virtutem praedicans, omnes, in ſe intuentes, mutuata hac ex veteri Conſtantini tropaeo, mutataque quodammodo inſcriptione, alloqueretur: Hoc ſalutari ſigno, verae fortitudinis indicio, Temesuariam et Belegradum, iugo ſeruitutis liberaui, Varadinum Petri ſeruaui, Pannonios in libertatem vindicaui, ac priſtinae dignitati ſplendorique reſtitui. Quod enim tum non nemo, ex auguſto nomine, CAROLVS SEXTVS, ſede litterarum permutata, de felici expeditionis illius exitu, vaticinatus eſt, dictum hoc inde eruens, CRVX SALVS ESTO; idem euentus ipſe comprobauit; etſi diuinationibus eius generis, quas artifices ſui *ἀναγραμματικὰς* vocant, parum, aut nihil, a cordatioribus tribuatur. Ite nunc, Thraces, perfricate frontem, diſcite, nihil opis eſſe in Muhamede, atque, ad ſanitatem mentis reuerſi, fidem rerum contractarum, et foedera, quorum nomen apud omnes gentes, nationes, linguas, ſemper ſanctum inuiolatumque fuit, reuerentius in poſterum habete. Scitote, haec vobis, non ineuitabili et caeca fati neceſſitate, quam in rebus tum proſperis, tum aduerſis, Alcoranus veſter ſtatuit; ſed DEI immortalis, quem vobis periurio iratum reddidiſtis, iuſtas pro ſcelere poenas repetentis, auſpicio atque ope accidiſſe. Quid enim profeciſtis deprecationibus illis, quas, pro felici vltimae in Hungariam expeditionis ſucceſſu, plena ſuperſtitionum pompa, inſtituiſtis? Chriſtiano ſanguine Muhamedi litare voluiſtis, deſtinatis ad victimas omnibus captiuis, ac mancipiis; proprio veſtro ſanguine perlitatum eſt. Fruſtra vos, ex ſuperiorum praeſcripto, inedia tot dierum maceraſtis: fruſtra corpora veſtra flagellis excarnificaſtis: fruſtra tot hecatombas humanarum victimarum ſuperis deuouentes, pectora manu pulſantes, nudis pedibus incedentes, artus veſtros, virgis, cultellisque, vsque ad inſaniam, lacerantes, vultu miſerabili, habitu ſqualente, in lacrymas effuſi, aperto capite, ſublato clamore, agminatim, oppidatim, vicatim, auxilium a Muhamede veſtro imploraſtis. IESVS enim eſt, DEVS ille, cuius virtute EVGE-

NIVS vicit: IESVS eſt, qui ſui numinis cultoribus praeſidium tulit: IESVS, qui ſuam maieſtatem a contumeliis Alcorani, ludibriisque flaminum veſtrorum, glorioſe vindicauit. Exprobraſtis aliquando Vladislao, ad Varnam, cum exercitu Hungarorum, fuſo, perfidiam; nunc ipſi et fregiſtis fidem, et periurii poenas ſoluiſtis. Tantum intereſt, Auditores, qua quisque DEVM pietate colat! Principem hanc virtutum, pietatem, ſi reliquae comitentur, vtpote, in omnibus conſiliis, atque actionibus, prudentia atque circumſpectio in laboribus, ac periculis, animi elatio et magnitudo, exercenda in principem, in ciues, in militem, in hoſtem denique, fides ac iuſtitia, in vita ac moribus temperantia ac moderatio, in obeundis muneris partibus, indefeſſum ſtudium et cura, et ſi quae ſunt alia, quae ad virtutem referantur, ducum ornamenta: tum demum quisque et vere religioſus habebitur, et certiores, vberioresque, in bellis gerendis, integritatis ſuae fructus percipiet.

Quantam vero EVGENIVS, ad omnes res, ſiue ciuiles, ſiue militares, adhibuerit prudentiam, illis hic vtor teſtibus, qui negotiis eius interfuerunt. Omnes enim vno ore confitentur, non potuiſſe quemquam prudentius ſe gerere, quam is ſe geſſit. In bellum numquam prius profectus eſt, quam in promptu haberet omnia, ſine quibus nihil ſuſcipi, nihil geri, nihil perfici, poteſt. Vt ipſe militi numquam defuit, ita nec militem ſibi deeſſe voluit. Ne vero miles eſſet inermis; arma comparari mature voluit: ne cum hoſte ſimul et fame certaret; rei frumentariae curam habuit: ne ſtipe quotidiana careret, de neruo rerum gerendarum ſolicitus fuit. Nec res paruas negligebat, ſciens, et has, cum in omnibus rebus, tum praeſertim in bello, magnum in vtramque partem habere momentum. In loco caſtris deligendo ita circumſpectus, ne commeatu prohiberi, contraque libere pabulari, aquari, lignari, materiari, poſſet: in explorandis hoſtium conatibus ita ſolers, vt multa eorum conſilia anteuerteret, ipſe numquam imprudens, imparatusque offenderetur: in celandis ſuis deſtinationibus ſic taciturnus, vt ſaepe miles, quo iam duceretur, ignoraret: in capiendis conſiliis ſic acutus, at-

que

que ingenioſus, vt futura cogitatione praeciperet, ſemperque aliquanto ante, quid, in vtramque partem, accidere poſſit, conſtitueret, neque vmquam opinione ſua falleretur, ſiue de inſtantibus iudicabat, ſiue coniiciebat de futuris. Belli molem, ſi facultas erat, in hoſtium fines transtulit; ſin minus, in ſuis iniurias propulſauit. Sciebat enim cum Scipione, multum intereſſe, alienos vaſtari fines, an tuos vri exſcindique videas: ſemperque plus animi eſſe, inferenti periculum, quam arcenti. Et quia, vt Comicus ait, *vbi ſummus imperator non adeſt ad exercitum, citius, quod non facto eſt vſus, fit, quam, quod facto eſt opus*: a caſtris non libenter abfuit, ne abſentia ſua ſegnior, ſecuriorque miles fieret, aut res ab aliis in deterius adminiſtrarentur. Offerebat fortuna facultatem rei bene gerendae; temporis opportunitate vſus eſt: inferenda videbatur rebus mora; cunctatione vſus, in aliud eas tempus differre, quam praecipitanter aliquid agere, maluit: celeritate erat opus; nihil cunctanter egit, ne occaſionem dimitteret: inſtruenda erat acies, ſemper vacuas cohortes in ſubſidiis habuit, vti, ſiue labore pugnandi deficientibus, ſiue preſſis ac periclitantibus, ad ferendum integris viribus auxilium, eſſent opportunae: habebat caſtra in medio hoſtium poſita, vt, tum a fronte inſtaret, tum a tergo vrgeret periculum; ita diſcrimini vtrique occurrit, vti vno tempore et ſuas munitiones defenderet, et hoſtium infeſtaret: gerebat quiſpiam ſuorum ſe fortiter; virtutem eius palam, vt alii exemplum caperent, collaudauit: notabat alicuius inertiam, aut ignauiam; eum palam, ne exemplo ſuo, alios faceret deteriores, reprehendit: nuntiabatur aliquid incommodi, ſe abſente, vitio ſuorum, accidiſſe; primum non credidit: aduolabant alii poſt alios nuntii, idem confirmantes, adhuc dubitauit; compertum exploratumque iam erat, admiratus eſt, propterea, quod abſens quoque omnia prudenter ita prouidebat, vt nihil durius, niſi vel imprudentia, vel nimia fiducia ſuorum, accidere poſſe, exiſtimaret. Si non omnia cadebant ſecunda, fortunam induſtria ſubleuauit, exigua incommoda maioribus commodis breui ſanauit, et, quod deperierat, celeriter expleuit. Etſi

vero ei dolebat, ita rem cecidiſſe; tamen, ſolerti conſilio, hilaritatem de induſtria ſimulauit, et res aduerſas adumbrata celauit laetitia, ne militum animi, ſi fractam ducis ſui mentem viderent, ipſi collabantur. Numquam, accepto detrimento, ſeſe animo admodum demiſit, neque abdidit in occultum, conſpectum multitudinis fugiens, ſed, tamquam re integra, in oculis omnium verſatus, vulnera exercitus occultauit. Ita vero nec ſuis ſtudia diminuebantur, nec aduerſariis ſpes ac licentia augebatur. Omnes quidem rerum euentus ſecundos in bello fruſtra exſpectaueris, et ducibus ſaepe, etiam victis, laus redditur, ſi et prudentia, et fortitudo, et induſtria, ſuo officio ſatisfecit: nusquam tamen prudentiſſimus hic HEROS vllam ignominiam incurrit, nusquam rem male geſſit. Et, quomodo is in aliqua re offendere potuiſſet, qui et in tenebris lynceus fuit, et ſummam, rebus agendis, adhibuit rationem, diligenter cauens, ne quid reſpublica detrimenti acciperet? Si enim inconſultum erat, fortunam periclitari, loco ſuo ſeſe tenuit; ſi alieno tempore, aut loco iniquiore; res gerenda; hoſti, quamuis elicienti, ſui poteſtatem non fecit; ſi res plena periculi; ſuos nec deſeruit, nec hoſtibus obiecit, ſed paruit neceſſitati, et vel prudentia ſingulari ſtantes protexit, vel in periculo poſitis, receptu quoque conſuluit. Huius rei vt exemplum aliquod ante oculos ponatur, accedamus cogitatione ad foſſam illam Etlinganam, qua Gallus, proximo bello, Rheni fluminis tranſitu erat prohibendus. Poſtquam enim EVGENIVS intellexit, ſeptuaginta millia hoſtium flumen bipartito tranſiuiſſe, animaduertens inſidias, locum quam prudentiſſime mutauit, ſeque ad vetera Heilbronae caſtra, vbi, re quidem vera, *fontem ſalutis* reperit, ita recepit, vt, ſeruatis omnibus impedimentis, nulloque ſuorum deſiderato, exercitui Germanico exitum ſalutemque attulerit; Gallorum autem victoriam, quam veluti propriam atque expeditam habere ſibi videbantur, interpellauerit. Quo quidem receptu hoſtibus tantum fiduciae ac ſpiritus acceſſerat, vt bellum ſibi iam confeciſſe viderentur, ac proinde, ac ſi EVGENIVS nimium timidus, parumque prudens, id feciſſet, neque vlla commutatio rerum

poſſet

poſſet accidere communium belli caſuum obliti, victoriam quaſi partam praeſentemque, fama, ac literis, tota Gallia concelebrarent, magnaque verborum contumelia, Germanos prius, quam hoſtem viderunt, fugere, ad ſuos diuulgarent. At, ſicut culpa EVGENII in exercitu CAESARIS nihil grauius vnquam accidit: ita neque receptus iſte, vel falſa ducis opinione, vel terrore, aut coactu militum, factus eſt. Id verum, Allobrogem hic parum ſuis viribus fidiſſe. Erant enim Caeſareanorum non amplius decem et ſeptem millia: vallus et foſſa imperfecti adhuc operis: auxilia Principum Germaniae tardiuſcule adueniebant: Italia, Hiſpanorum, Gallorum, Sardorumque, impreſſionibus expoſita, legionibus Caeſaris non poterat nudari. Paucitate ergo ſuorum, et loci iniquitate, permotus, multitudini hoſtium cautiſſime ceſſit, praeſentis temporis neceſſitati ſeruiit, loco magis idoneo caſtra poſuit, et conatus Gallicos pulcherrime eluſit. Vidiſſes vero illic ſubitam fortunae commutationem. Qui enim modo ſibi timere videbantur, hos tutiſſimus locus recepit; qui vero aliis periculum inferre cogitabant, de ſuo tandem timere cogebantur. Ipſi enim Galli, paullo poſt, receptui ſuo timere coeperunt, ne pontibus, tranſituque, intercludantur, vel etiam, abſciſſo in duas partes exercitu, ſic, vt alter alteri auxilium ferre non poſſet, vna ſui parte dimicare cogantur. Suo itaque conſilio turpiter deiecti, propoſitum non tenuerunt, atque, fugientibus ſimiles, in Alſatiam, re infecta, reuerterunt, ſibi omnino non confidentes. Eadem prudentia vſus hic eſt EVGENIVS, qua, ſuperiore anno, in Italia, Vir excellentiſſimi nominis, KOENIGSEGGIVS, dum, intra Alpes Tirolinas, ſaluum exercitum reduxit, breuique rurſus, auctis copiis, in Italiam rediit. Qua re factum, vt ipſe apud omnes magnam ſapientiae laudem conſequeretur; Montemarius autem fruſtra triumphum caneret ante victoriam, paullo poſt in Hetruriam, non ſine dedecore, ſeſe recipere coactus. Quid enim profecit olim Callicratidas, Lacedaemoniorum dux, quando rem dubiam proelio commiſit, et monentibus aliis, ne dimicaret, ſuperbe reſpondit, *Lacedaemonias claſſe, cui praeerat, amiſſa, aliam parare poſſe, ſe fugere, ſine*

ſine ſuo dedecore, non poſſe? Id ſcilicet effecit, intempeſtiua gloriae propriae cupiditate, vt, quum antea multa feciſſet egregie, ad extremum omnia verteret. Quodſi a foſſa Etlingiana ad caſtra, ad Bruchſaliam poſita, transeamus, diuerſam illic inueniemus conſilii rationem. Amiſſis enim Kehlio, Trarbachia, et Philippoburgo, Germaniae propugnaculis, facta vbique neceſſario deditione, poſtquam animaduertit, hoſtes in eo eſſe, vt in Sueuorum fines perrumperent, tributaque pluribus ciuitatibus imponerent: loco ſeſe non mouit, et, licet Asfeldius, nunc Briſacum, nunc Moguntiam verſus, ſimulato animo, ſuos duceret, ipſe tamen ſuperius inſtitutum ſeruauit, non, quod proelium detrectaret, id enim tota illa aeſtate depoposcit, ſed, quod compertum erat, quid hoſtis propoſiti ac voluntatis haberet. Id ſcilicet agebatur, vt, dum hoſtis, ſigno profectionis toties dato, detenſisque tabernaculis, nunc huc, nunc illuc, ſe moueret, noſtri, vel locis iniquis ſeſe ſubiicerent, vel, mouendis fruſtra toties caſtris, pluribusque adeundis locis, defatigati, ſibi apertam viam relinquerent, curſum in Sueuorum, Boiorum, Sarmatarumque fines, dirigenti. Nec a tergo tuta erant omnia. Hoc, vti Ianum bifrontem celari non potuit, ita ſuis ſe locis intra munitiones, vsque ad hiberna, continuit, atque, vt conatibus Gallorum obſtaret, accuratius illi rei ſtudere, laudabilique quiete, ac mora inſeruire, inſtituit. Quemadmodum enim medici plus interdum, quieſcendo, quam mouendo, agendoque, proficiunt: ita illud, quod de Q. Maximo Ennius olim cecinit, cunctando ſcilicet eum rem nobis reſtituiſſe, de EVGENIO conuenientiſſime tum dici potuit: Mirabatur orbis, tantum virum nihil agere, ſed non agebat nihil. Exiſtimabat vulgus, vnius diei eſſe negotium, quo bellum conficere liceret; appellabant cunctantem imperiti, qui feſtinanter omnia agere voluerunt, id dicentes, ne dubitaret, relictis munitionibus, prodire, virtutem ſuam experiri, fortunamque tentare; quicquid intercederet temporis, id morari victoriam; pollicentesque, fore, vt, ſi rem ſibi commiſerit, ipſi proelium ſuſtineant, neque eius de ſe iudicium fallant: at ſapientiſſimus Cunctator, pro iudicii ſui excellentia, non

mo-

modo, quod ante pedes eſt, videns, ſed etiam proſpiciens euentura, a propoſito non diſceſſit, omniaque tardius et conſideratius egit. Qua ſalutari cunctatione, quam multum Gallos impediuit, tam multum imperio Germanorum profuit: quod et exitus docuit multo feliciſſimus.

Neque vero conſiderate ſolum ac ſapienter, ſed etiam animoſe ac fortiter ſe vbique geſſit EVGENIVS. Cuius rei tanta poſt ſe indicia reliquit, vt ne poſteritas quidem, omnium ſaeculorum, rerum eius fortiter geſtarum futura ſit immemor. Fuit ſane haec virtus velut natura inſita omnibus Sabaudis Sueſſionum Principibus. Nam, vt praeteream et auum eius, THOMAM FRANCISCVM, et patrem, EVGENIVM MAVRICIVM, qui ambo regi Galliarum egregiam in bello operam nauarunt; eadem animi magnitudine fuerunt duo eius fratres, LVDOVICVS THOMAS, et LVDOVICVS IVLIVS, quorum vterque, dum in exercitu CAESARIS, pro AVSTRIAE gloria, imperiique ſalute, acerrime dimicabant, ſpiritum heroicum, et ſanguinem, excelſo animo, profundere non dubitarunt: et ille quidem ad Landauiam a Gallis vulneratus; hic in Pannonia a Tartaris interfectus. Nec inglorii fuerunt THOMAS EMANVEL, prioris fratris filius, et nepos eius, EVGENIVS THOMAS FRANCISCVS, qui paternae, auitaeque, virtutis aemulatione, caſtra CAESARIS ſecuti, gloriam gentis ſuae permultum auxerunt, maiora daturi heroicae virtutis ſpecimina, niſi, in ipſo flore aetatis, ille quidem ſeptem, hic duobus abhinc annis, morte deceſſiſſent. Erant enim non ſolum apud CAROLVM AVGVSTVM magno honore, quorum ille opera optima fortiſſimaque vti coeperat, ſed etiam apud exercitum, cunctosque belli duces, cari habebantur. Omnium tamen, quos Sabaudia genuit, Principum laudes bellicas EVGENIVS, factis ſuis, non aequauit ſolum, ſed etiam longe ſuperauit. Non ille ſpectator fuit pugnarum, vt Xerxes, qui, antequam acies inter ſe concurrerent, loco pugnae exceſſit, et, dum Artemiſia, Halicarnaſſi Regina, inter prima ſigna viriliter pugnaret, ipſe otioſus, e loginquo euentum exſpectauit, vt ipſi hoſtes in muliere virum, in viro mulierem admirarentur:

tur: quo nihil turpius. Quanto pulchrius, quando Heros noſter, nec ducis optimi, nec militis ſtrenui, officio ſuis defuit! Ita enim miles, exemplo ducis, ad ſtudium accenſus, eo fortius pugnabat, et, quum alios officium, alios pudor, incitaret, quisquis autem pro ſe duci perplacere contenderet, facilius omnes ſuperabant, quod ſemper in conſpectu imperatoris res gerebatur, vt nullius ignauia, nullius paullo fortius factum latere poſſet. Sequebantur tanto fidentius ducem, et commilitonem ſuum, vitam, ſanguinemque profundere paratiſſimi, et, dum, ſtrenue rem gerentem, videbant, tanto alacriori animo, intrepidi hoſtem vrgebant, profligabant, proſternebant. Id quidem ab ipſis auguſtis imperiorum principibus poſtulare, vt in acie verſentur, niſi extrema neceſſitas exigat, nefas eſt, ne imperii dignitas temere proſtituatur, amiſſoque capite, durior toti reipublicae caſus accidat. In milite enim vnius ſors eſt, in Caeſare, aut Rege, vniuerſorum periculum. Quanto conſultius feciſſet Ludouicus II, patriae noſtrae Rex, ſi, imminente Solymanno, Budae potius, vel Poſonii, exitum rerum exſpectaſſet, quam ſtetiſſet in acie. Minus, ſine vllo dubio, ignominiae, minus cladis accepiſſet Hungaria, ſi, coactu ciuium, Rex ipſe caput periculo non obieciſſet. Neque enim eius eadem vel aetas, vel virtus, vel fortuna fuit, quae Matthiae Coruini, qui, vt Bonfinius, eiusdem aetatis, rerum domeſticarum ſcriptor, memoriae prodidit, in pugna calcaribus numquam vtebatur, ne forſitan, timore correptus, admiſſo, concitatoque equo, fugeret ex proelio, ſuoque exemplo reliquorum animos perturbaret. At alia eſt legatorum ratio, quos, exercitibus imperatores praepoſitos, in periculis quoque praeſentes eſſe, oportet. Quod niſi EVGENIVS proeliis ipſe interfuiſſet, neſcio, vtrum ea felicitate, qua nunc gaudemus Germania gloriari, Hungariaque ſarta et tecta ſeruari potuiſſet. Nec tamen ita ſibi fidebat, vt periculo inconſultius ſe offerret. Factum certe Beruickii, ducis Gallorum, ad Rhenum, multi, tum Germani, tum Galli, laudare noluerunt, caſum tam triſtem grauius ferentes, quod, ad munimentum Philippoburgi tam prope accedens, licet monitus ab ami-

amicis, imo ab ipſo hoſte, tormenti fulmine, primum quidem ictum fallentis, perculſus, pedem tamen ex loco, periculi pleno, non retulit, donec, altero ictu percuſſus, caput amitteret. Etſi enim multa praeclare geſſerit, bellis ſuperioribus; Gallouaium, ducem Anglici exercitus, ad Almanzam in Hiſpania ſuperauerit; Barcinonem expugnauerit; vrbem D. Sebaſtiani occupauerit; neſcio tamen, annon ad Rhenum in eo peccauerit, quod, immemor, ſe caput fuiſſe Gallici exercitus, quod de ſuo capite magis omnino ſolicitum eſſe oportebat, ſe tamen periculo, tam praeſenti, quum poſſet, non ſubduxerit. Triſtis certe caſus docuit, rem ei male ceſſiſſe. Noſter ſic pericula et mortem contemnebat, vt tamen ſuam non minus, quam ſuorum, vitam, ſalutemque, odio non haberet, et, cum in omnibus dimicationibus, tum in exploranda locorum natura, peditatu, pro manu; equitatu, pro pedibus; acie, pro pectore et thorace, vteretur. Id vero prorſus ſingulare diuini praeſidii beneficium fuit, quod, quum toties inter funeſtos globorum ferreorum, plumbeorumque nimbos, et feros gladiorum ictus verſaretur, cadentibus nonnumquam vtrinque compluribus, mortiferum tamen vulnus non acceperit, miles hinc quinquagenarius, placideque diem obierit ſupremum. In Pannonia bis vulneratus, primum quidem ad Budam, poſt ad Albam Graecam, ex graui, inueteratoque, vulnere patriam noſtram ſanauit. Hic enim, vltimis aeſtiuis, dum, facto in Turcorum caſtra impetu, vallum foſſamque tranſcendit, atque in denſiſſimos propugnantium globos irruit, ducisque ſimul, et militis, partibus, in disiiciendis barbarorum agminibus, ſtrenue defungitur, leuiter in brachio ſauciatus eſt. Eo tamen vulnere imperio Turcico tantum vulnus inflixit, vt Thraces nondum vires recolligere queant, ſeque aegre nunc aduerſus Perſas, et Ruſſos, tueantur, interneciuum ſine dubio illaturus, niſi inuidia Hiſpanorum, facta in Siciliam impreſſione, barbaris interim pacem a CAESARE, glorioſe triumphante, petentibus, expeditioni illi finem attuliſſet. Nec miratus eſt quisquam, hoc vulnere EVGENIVM iſthic fuiſſe affectum, quem in tanta periculi magnitudine, vna cum

exer-

exercitu, periturum, exiſtimabant omnes. Ardua enim, et periculi plena, res fuit, caſtra, opere, atque induſtria, munitisſima, infinitaque propemodum, immanium ac deſperatorum hominum, multitudine refertisſima, inuadere: neque tamen caeco impetu, et dubitanter, hanc difficultatem ſubiit. Nam, etſi numquam tanti fuit timoris, vt animo deficeret, tamen neque tanti animi, vt ſine ſpe victoriae periculum vmquam adiret. Transeamus modo, aduerſo Iſtro, ad Rhenum, et, quid ad caſtrum Philippi geſtum ſit, parumper recogitemus: inueniemusque illic, et periculum grauius, et moderatiorem fortitudinis EVGENIANAE vſum. Erant et hic ſententiae, quae caſtra Gallorum oppugnanda, omnibusque modis conandum, cenſerent, vt WVTGENAVIO, arctisſima obſidione clauſo, ſuccurratur, praeſtare, dicentes, per virtutem ſuam, fortunam belli, in pugna, experiri, quam committere otio, vt, in conſpectu inuictisſimi HEROIS, peritisſimorum ducum, exercitatisſimorum Germanorum, Philippoburgum deſeratur, quum res in ſummum iam periculum, hoſtibus certam ſpem, loci potiundi, habentibus, deducta videretur. Conſilium tamen hoc HEROS improbauit. Neque enim tantum animi ac fiduciae moderato imperatori ſuperfuit, vt, iniquo loco, dimicandum putaret, caſtraque, et vallo, et ſcrobibus, ad decipiendum, retardandumque, aggredientium impetum, pasſim paratis, et caeſpite contectis, munitisſima, expugnari poſſe, confideret. Quamobrem hic cogitationem aggrediendi munitiones depoſuit, omni ſtudio in eam curam tantummodo incumbens, ne maiores hoſtis faceret progresſiones. Tenebat enim memoria, quid, paullo ante, in Italia ad Parmam acciderit, vbi, accepto detrimento, duceque amiſſo, ab oppugnatione caſtrorum diſceſſum eſt. EVGENIO nec animus defuit ad Belegradinum, vbi aliquid certo ſperari poterat: nec ſuperfuit ad Philippoburgum, vbi omnia valde dubia, et obſcura, videbantur. Eumdem modum in omnibus negotiis conſtanter ſeruauit, vt neque magnitudine animi ſui, nec ſanguine militum abuteretur, maluitque interdum iacturam aliquam gloriae priuatae facere, quam rei nocere publicae. Tali igi-

igitur duce, quoties bellum erat gerendum, ipſa nominis EVGENIANI fama hoſtibus terrorem inferebat, vt non ſine cura rem adminiſtrarent, ſaluti ſuae timentes, quum viderent, Virum, et prudentem, et fortem, ſecum dimicaturum, quem nullus vmquam ſuperare potuerit. Nec immerito, inter inſignia gentilitia, leonis ſimulacrum habuit, pelle vſus leonina, ſemper; vulpina, raro; leporina, numquam. Nec vero leo iſte animoſus exercitui ceruorum praefuit, qui, minimo ſtrepitu conſternati, ſalutem in pedibus poſitam haberent. Germanorum enim dux fuit, quorum maiores, omnibus retro ſeculis, tam erant terribiles finitimis, vt Galli, ſaepe numero cum illis congreſſi, teſte C. Iulio Caeſare, ne vultum quidem, atque aciem oculorum, in eis ferre poſſent. A qua maiorum laude hodierni nondum deſciuerunt, quos noſtra quoque aetas incredibili virtute, atque exercitatione in armis eſſe, nouit. Huc accedebant pedites, atque equites Hungari, quorum multa millia in exercitu habuit, vſu rei militaris non contemnendi. Etſi enim domi, in conſuetudinem vitae Germanicae, addo etiam Gallicae, ſenſim veniant, in bellis tamen diſciplinam Hunnorum veterem nondum dedidicerunt. Adhuc enim excurſiones facere, hoſtem ad pugnam laceſſere, ſtantem in acie perturbare, pugnantem circumuenire, fugam ſimulare, inſequentem ex inſidiis adoriri, fugientem perſequi, carptim, caeſim, punctim, ſternere, praedam praeripere, eadem velocitate et ſequi, et fugere, pabulari, populari, ad ſuos incredibili celeritate ſeſe recipere, excubias infeſtare, vetere quodam maiorum ſuorum inſtituto, conſueuerunt. Hi, vt compluribus iam bellis inueterauerunt, ita magno vſui fuerunt Germanis, virtutemque, ac diligentiam, duci ſuo tantopere probarunt, vt ille Hungaris multum ſemper tribueret, palamque ſaepe diceret, eum, qui Germanorum fulminibus, Hungarorumque falcatis gladiis, recte ſciat vti, poſſe efficere, vt nemo reſiſtere queat. Vbi enim ad gladios peruentum erat, non hominum, ſed papauerum et cucurbitarum capita demetere videbantur. Tantus ſaepe numero, ſubito eorum aduentu, totum exercitum hoſtium

ſtium timor occupauit, vt non mediocriter omnium mentes animique perturbarentur, et vix ora vultusque, neſcio, quid Scythici adhuc prae ſe ferentes, ipſo certe aſpectu terribiles, ſuſtineri poſſent. Extremo bello ita timebantur, vt Gallicae dominationis homines, hoc genus equitum, quos Huſſaros dicimus, dicto lepido magis, quam acerbo, (cui date, quaeſo, Auditores, veniam,) *diabolos incarnatos*, per cauillationem, vocitarent. Quod condimentum Gallicae vrbanitatis, etſi illud ad laudem gentis meae referam, mihi tamen, amore in populares meos ardenti, acerbitate ſua ſtomachum mouet, et fere ad nauſeam prouocat; concoquere certe non poteſt. Nihil enim ſalis in eo, multum piperis, ſentio. Neque tamen intelligo, quid dictio, tam inſulſae latinitatis, ſibi velit. Nam, niſi me omnia fallunt, διάβολος Graecis non eſt is, qui calumnia afficitur; ſed is, qui afficit. Tale vero hominum, non linguis, ſed manu; non verbis, ſed armis, certantium, genus, non video, cur tantum non omnes Europae principes, in aulis, et exercitu ſuo, ſtipendiis publice alunt? Quodſi enim tam mali ſunt, ad Cyclopas potius et Centauros eſſent relegandi, quam in aulas Principum mercede conducendi. Sed ſine dubio propterea magni aeſtimantur, quod ſuos fideliter defendant, noceant autem hoſtibus. Id ſi verum eſt, vt eſt omnino veriſſimum, deos ego potius tutelares, quam alaſtoras, aut malos genios, dixerim. Suis enim ſunt praeſidio, et ſaluti; hoſtibus terrori, et exitio. Non igitur dedecori, ſed laudi nobis id eſt, quod noſtri, dum Principis ſui ſalutem, dignitatemque, ſibi commendatam habuerunt, hoſtis ad eorum nomen, quoties aduolabant, non ſecus, ac fulgur et fulmen, trepidaret, et, quia ſuae virtuti non multum confidebat, ſpeluncis ſe muniret, velut ad feras capiendas, paratis. Nam, extra haec latibula poſitus, quid valuerit, experientia docuit ad Moſellam, vbi, duce SECKENDORFFIO, menſe Octobri anni praeteriti, a Caeſareanis, flumine feliciter traiecto, profligatus, in loca tutiora ſe recepit, noſtriſque liberum commeatum reliquit, plus detrimenti ſine dubio accepturus, ipſamque Auguſtam Treui-

Treuirorum amiſſurus, niſi nuntius de induciis, et hoſti ſecuritatem attuliſſet, et curſum virtutis felicitatisque SECKENDORFFIANAE ſufflaminaſſet. Sed redeo ad Huſſaros. Cautiores hi, in ſcrobibus vitandis, erant, quam vt capi poſſent, more ferarum. Occultatas illi inſidias, et viminibus, virgultisque, inteẛas, lupis fallendis relinquebant, ipſi alio loco, per alias vias, quandoque et per tesqua luporum, agilitate equorum vſi, inuiſebant aduerſarios, ne opinantes quidem, et, dum procul eſſe credebantur repulſi, in vrbe, aut caſtris eorum rurſus aderant. Veniebant ſaepiuſcule ad conuiuia hoſtium, ne inuitati quidem, et bacchanalia male feriatorum, ingrati inuiſique hoſpites, interpellabant, luxurioſoque conuiuiorum adparatu, et ferculis depulſorum, lautioribus ſeſe tuto reficientes, numquam non laeti, numquam ſine captiuis, ſine praeda, reuertebantur. Horum igitur velocitate, fide, diligentia, et fortuna, mirifice deleẛatus eſt, teſtis ille virtutis Hungaricae locupletiſſimus, EVGENIVS, ſic tamen, vt diligenter caueret, ne qua ſiue ab his, ſiue ab aliis, iniuria ciuibus imperii inferatur. Erat enim et iuſtitiae ſtudioſiſſimus. Bella, non niſi iuſta, pro defendendis Principis ſui iniuriis, et pro communi ſalute, atque vtilitate, nec niſi iuſte, adminiſtrauit, vt ex omnibus eius et conſiliis, et negotiis, nihil aliud, niſi iuſtitia, et pax, quaeſita videatur. Nihil egit mala fide, nihil ex inſidiis; maluitque ſemper aperto Marte dimicare, quam, latrunculorum more, furari victoriam. In malos, pro ratione deliẛi, animaduertit, ne bonis prauo exemplo nocerent, vel ipſi quoque impunitate magis fierent licentioſi: accuſantes ſic audiuit, vt parti alteri alteram aurem integram reſeruaret: neminem damnauit, niſi auditum, et conuiẛum. In diſciplina militari eam ſeruauit mediocritatem, vt nec admodum clemens, ac remiſſus, nec ſeuerus, et acerbus eſſet. In DOMVM AVGVSTAM fidem integram intemeratamque ſeruauit, nec vlla in re ab officio diſceſſit, vt ne minimam quidem ſuſpicionem vmquam incurreret, et ne ipſa quidem calumnia aut inuidia maleuolorum, obtreẛandi vllam haberet occaſionem. Manus militum a ra-

E 2 pinis

pinis continuit, legem illam Aureliani militarem diligentiſſime ſuis inculcans: Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat: Vuam nullus auferat: ſegetem nemo deterat: annona ſua quisque ſit contentus: de praeda hoſtium, non de lacrymis prouincialium, habeat: arma terſa ſint: ferramenta ſamiata: calceamenta fortia: veſtis noua veterem excludat: ſtipendium, non in popina, ſed in baltheo habeat: in hoſpitiis caſte ſe gerat: qui litem fecerit, vapulabit. Ipſe ab auaritia, et pecuniarum cupiditate, tantum abfuit, vt multis de ſuo benigne faceret, proprio commodo numquam ſeruiret, prouincialibus pecunias, auctoritate ſua, non imperaret: neque vmquam res turpiſſimas, honeſta, vt ſolet fieri, praeſcriptione, tegeret: Varo Quintilio prorſus diſſimilis, ſacra fame auri laboranti, adeo, vt pauper diuitem Syriam ingreſſus, diues pauperem reliquerit. Sed quid de Varo loquor? recentiora exempla in memoria adhuc verſantur. Quam enim non fuerint pecuniarum, propriorumque commodorum, contemptores, hoſtes CAESARIS, exhauſtae, atque ad incitas redactae, prouinciae teſtantur. Quocumque enim his peruenire licebat, tributum in ſingula oppida, et capita, imponebant: agros expilabant, exurebant, exſcindebant: prouinciis non ſolum frumentum, arma, vecturas, obſides, ſed etiam oſtiaria, columnariaque, imperabant: imperata acerbiſſime, crudeliſſimeque, exigebant: et cuius modo rei nomen reperiri poterat, hoc ſatis eſſe, ad cogendas pecunias, putabant. Excogitabantur enim multa ad auaritiam: plena erant lictorum oppida: vici conferti praefectis, et exactoribus: neminem mouebat miſericordia afflictorum: nihil proficiebatur lacrymis viduarum, pupillorumque depreçantium: neque publicis aedificiis, templis, ſacrariis, arisque, parcebatur. Ab hac iniuſtitia, crudelitateque, EVGENIVS quam longiſſime abfuit, contraque multorum facultatibus, contra impios hominum conatus, ſalutem attulit. In exſoluendis autem ſtipendiis, diſpenſandisque publicis pecuniis, magnam adhibuit diligentiam, ne cuius auaritia milites quaeſtui haberet, ne

falſum

falſum militum numerum deferret, aut ſtipendium eorum, qui aderant, fraudaret, praedamque aliorſum auerteret. In legendis ducibus id maxime ſpectauit, vt et meritorum ratio haberetur, et, ad cuſtodiendum gregem, mitterentur, non lupi, ſed paſtores, non, qui oues ſuas tot menſibus tonderent, ſed, qui, pro communi ſalute, vigilarent, propugnarentque. In eo quoque iuſtitia eius enituit, quod non ſolum periculis ſuos nusquam temere obiecerit, vt ſupra demonſtratum eſt, ſed etiam, vbi in eam ſpem venerat, ſe ſine pugna, et ſine vulnere ſuorum, rem conficere poſſe, conſilio maluerit ſuperare, quam gladio, ne etiam ſecundo proelio, vel hoſtium, quos dedititios fore ſperauit, ſanguine manus cruentaret, vel amitteret aliquos de ſuis, aut vulnerari ſaltim pateretur, milites optime de ſuo Principe merentes. Fidem autem rerum contractarum, ne hoſtibus quidem, reſcindendam cenſuit, nullis vmquam, vel iniuriis aduerſariorum, vel ſuorum compellationibus, ad perfidiam incitatus. Temesuariam enim cum deditione cepiſſet, natura loci, et induſtria humana, egregie munitam, barbaris pro eo, vt conuentum erat, demigrandi veniam petentibus, indulſit, vbi, licet a multis, vt vindictam ſumeret, ſolicitaretur, fidem tamen ſeruauit, et, ne qua decedentibus iniuria inferretur, ſuis mandauit. Multi enim recordabantur adhuc, qua crudelitate a Turcis, contra fidem datam, in dedititios fuerit ſaeuitum, quum idem hoc Hungariae propugnaculum, anno ſupra milleſimum et quingenteſimum quinquageſimo ſecundo, noſtri amiſiſſent. Ea ſcilicet pactione arcem dediderant, poſtquam, conſumto iam frumento, ac pecore, deficienteque puluere tormentario, vix haberent, quo extremam famem tolerarent, ſeque defenderent; vt, more militari, honeſte cum ſignis, armisque, incolumes ad ſuos dimitterentur. Annuerant barbari, incolumitatemque diſceſſuris ſanctiſſime promiſerant: verum tamen, in itinere occupatos, multitudine ſua oppreſſerunt, et, inaudita feritate, alios in captiuitatem rapuerunt, alios crudeliter interfecerunt, ipſum praeſidio praefectum, Loſſoncium, multis vulneribus confectum, capite; Forgachium,

chium, dum reſiſteret, naribus; Bottyanium, brachiis, ac pedibus, perfidi ſcelerate truncarunt. Punicam hanc Thracum fidem vlciſci poterat EVGENIVS; ille tamen, Chriſtianum ſe, non Thracem, eſſe, meminit, et gloriam, non ſanguinem, ſitiens, incolumes dimiſit. Data praeſidio demigrandi facultate, iuſſis quoque ex vrbe abire, omnibus, quos adhuc ſuperſtites fortuna reliquerat, factionis Rakocianae Hungaris; Iudaeis, eamdem veniam petentibus, negauit, licet centum millia numum, ſi id impetrauerint, ſoluere vltro voluerunt. Intellexerat enim, hos homunciones omnia, quae praeſidiarii aſportare non poterant, leui pretio coemta, conuaſare, ſeque cum praeda locuplete, et mercibus pretioſis, in Thraciam proripere voluiſſe.

Hac vrbe antequam potiretur, ea humanitate, animique moderatione, in hoſtem fuit, vt praeſidii praefecto, rem non iniquam petenti, gratificaretur, licet ille conatu reſiſtendi nondum deſiſteret. Rogatus enim a Thrace, cuius filius ex graui vulnere decumbebat, vt ſibi medicum mitteret, artis ſuae peritiſſimum, non recuſauit: donum ſibi viciſſim, pro eo humanitatis officio, miſſum, ſex nempe equos praeſtantiores, moreque Turcico, ornatos, non ſpreuit: neque tamen tanti fecit remunerationem, quanti gloriam, quod homini, quod inimico, quod barbaro, beneficium contulerit, cogitans, ſibi quoque humanitus id accidere poſſe, vt tali officio egeat. Iis autem, quibus cum, et apud quos vixit, non ſolum humanum atque ciuilem ſe praebuit, ſed etiam familiarem. A gregariis licet numinis inſtar coleretur; tamen et hos commilitonum loco habuit, et, licet a natura vultu, ad ſeueritatem magis, quam ad comitatem, compoſito eſſet, animo tamen adeo benignus, vt cunctos non ſecus, ac pater liberos, amore complecteretur, de miſerorum incommodis doleret, valetudinarios, vulneratos, captiuosque, curae ſibi haberet, omnibus, ad ſe adire volentibus, faceret audientiam, neque abſentem quempiam, per literas compellatus, reſponſo dedignaretur. Quos vicerat, aut, armis poſitis, victori ſe permittentes, in fidem acceperat, in hos ea fuit

fuit clementia, vt difficile dictu ſit, vtrum magis antea pugnantes virtutem eius timuerint, an manſuetudinem victi dilexerint. Fortunam ſecundam, an aduerſam moderatius tulerit, incertum eſt. Nam neque aduerſis rebus ſe deiiciebat, neque ſecundis efferebatur, modeſtia poſt victorias perinde, atque ipſis victoriis, laudabilis. Alios enim laudare, quam laudari, maluit, omnesque aſſentatorum numero habuit, laudum ſuarum buccinatores, nec vlla re bilis facilius ei moueri potuit, quam exiſtimationis, meritorumque ſuorum, praedicatione, quae ille ſemper, et voluntate ſua, et exſpectatione aliorum, leuiora iudicabat. De aliis enim magnificentius, quam de ſe ipſo, et loquebatur, et ſentiebat. Mens eius, vtut generoſa fuit, non tamen facile concipiebat iras, neque leuioribus de cauſſis ſtomachabatur, planetas in hoc imitatus, quos quo ſublimiori ſphaera natura collocauit, hoc tardius mouentur. Miſericordia afflictorum in primis mouebatur, in quos multa contulit beneficia, non gloriae cupiditate, ſed natura, ſenſuque alienae miſeriae, incitatus. Nec aliud ſpectabat ſplendore, ac magnificentia illa aedificiorum, quibus Auſtriam, Hungariamque paſſim ornauit, quam vt haberet vulgus, vnde, artis, quam quisque didicerat, exercitatione vitam toleraret. Hoc cum omni tempore factitauit, tum praeſertim, quoties annonae difficultas famem vulgo inferebat, vel, graſſante marte, peſtilentiaque, itinera, et commercia intercludebantur, vt, quum alii ceſſabant ab aedificando, et, ſumtibus parcentes, continentius victitabant, ipſe numerum operarum ſuarum, non modo nihil minueret, ſed multum quoque augeret. Id aliis aliquando admirantibus, generoſe, laudabiliterque, hoc reſpondiſſe fertur: Non eſſe hominis Chriſtiani, in communi calamitate admittere, vt, cui copiae ſuppetunt, egentes deſerat, et, dum quis molliter, delicateque viuit, alios, tenuioris ſortis homines, fame contabeſcere patiatur. Ita dum alii fontem liberalitatis praecludebant, ille ſitientibus aperiebat. Teſtatur id annus ſaeculi noſtri decimus quartus, ob luem peſtiferam, et illatam agris calamitatem, difficillimus, quo tamen mille trecentos homines

operarios, partim in inſula Cſepel, quae iam EVGENIANA dici meruit, partim Vindobonae, partim in receſſu illo gemino, maxime iucundo, quorum alter ab oppido adiacente Hoff, alter a ſeptem fontibus nomen accepit, ſumtu ſuo benigne aluit, alias vix ſexcentos, vt liquido conſtare potuerit, id non ab oſtentatione, ſed animo benefaciendi cupido, profectum eſſe. Etſi enim voluptati quoque aliquid tribuebat, neque ludos, et iocos honeſtos aſpernatus; ſed tum demum iis vſus, quum grauibus et ſeriis rebus ſatisfeciſſet; Hoffumque libenter, dum ſibi tantum otii a publicis negotiis eſſet, animi cauſſa, diuertebat: ſumtuoſa tamen haec opera, palatia, imaginibus, et ſtatuis exſplendentia, hortos, variis, domi natis, exoticique generis plantis, ad voluptatem conſitos, piſcinas, aliaque viuaria, aliorum potius delicias, quam EVGENII, dixeris. Sic enim fruendae voluptatis modum tenuit, vt luxuria non difflueret, neque in aliquam turpitudinem delaberetur, ſed omnem cultum vitae, ad valetudinem vireſque, non ad vanas corporis delicias, referret. Monitus aliquando, vt numerum miniſtrorum aulae ſuae diminueret, quorum opera, ſine ſuo incommodo, carere poſſet, animo prorſus generoſo reſpondit, his quidem omnibus EVGENIVM non egere, multos tamen in hoc grege eſſe, qui EVGENIO egerent.

His igitur virtutibus, moribusque, Auditores, facile effecit EVGENIVS, vt, quantum gratia apud omnes valebat, tantum quoque auctoritate polleret, ſine qua nullum bene adminiſtratur imperium. Is enim, qui nulla eſt auctoritate, in contemtum ſenſim venit: qui contemnitur, inferiores ſibi dicto audientes non habet: cui miles non obſequitur, is quid proficiet in rebus gerendis? Tantum abeſt, vt illic ſperari poſſit felix rerum exitus, vt periculum ſit, ne vel exercitus totus ab hoſte deleatur, vel ciuiles in caſtris oriantur diſſenſiones, vel miles in ſuum imperatorem arma conuertat. Sed laqueis forſan, ſecuribus, crucibus, rotis, ſcalis gemoniis, aliisque id genus ſuppliciis, et contemtio, et, quae hanc neceſſario conſequuntur, mala praecaueri poſſunt? At fallun-

tur

tur illi, qui auctoritatem in hac carnificina naſci putant. Sola enim aſperitas, frequentiaque ſuppliciorum, quid habet, niſi metum ſeruilem, odium, alienationemque exercitus? Neque enim diligitur is, qui non diligit: qui autem metui tantum vult ab omnibus, ipſe omnes metuat, neceſſe eſt. CONSILIO, et INDVSTRIA, parantur; AMORE, et TIMORE continentur: CONSTANTIA, et FORTITVDINE confirmantur imperia. Dicet vero aliquis, largitionibus id obtineri poſſe, vt dux caſtrenſis magni aeſtimetur. Sed enim, qui largitionibus militum voluntates redimit, ille facile fontem profuſae liberalitatis, praeſertim, vbi maior eſt prodigentia, quam facultates, exhaurire, et non ſolum beneuolentia, quam pecuniis conſectatur, excidere, ſed in deſpectum etiam, atque odium, ſi nihil amplius ad largiendum ſuppetat, peruenire poteſt. Quod ſi vero hic nihil proficit, qui facit largitiones, multo minus is, qui, magnis praeditus opibus, non tam generoſus, quam pecunioſus eſt. Neque ſplendor natalium, ad conciliandam exiſtimationem, ſine virtute: neque aetas ſolum grauior, in qua nihil rationis, nihil conſilii, eſt, ſufficit. Quocirca alia prorſus via huic inſiſtendum erit, qui ad eminentiam iſtam, apicemque imperatoriae dignitatis peruenire, neque deturbari inde vult. Scilicet, quo quisque virtutibus, ſupra laudatis, illuſtrior, rei militaris peritior, in rebus gerendis acrior, prudentior, diligentior, felicior, iuſtitiae obſeruantior, fuerit; eo acceptior erit omnibus, maiorique habebitur in pretio, et felicius in officio milites continebit.

His itaque ſubſidiis EVGENIVS conſtantem, ac ſolidam, dignationem ac reuerentiam nomini ſuo comparauit, his beneuolentiam, et amorem, nomini ſuo conciliauit, vt omnium animos in ſui admirationem concitaret, omniumque mentes quadam veluti religione, venerationeque, impleret. Erat is quidem, vt ſupra dictum, excelſo loco natus, abundabatque diuitiis, ſed, niſi omni virtutum genere eluxiſſet, niſi opes, non in luxuriam, ſed in virtutis ſubſidia, conuertiſſet, neſcio, fuiſſetne aliquando euectus ad hoc dignitatis faſtigium. Agebat

bat triceſimum tertium aetatis annum, quando exercitui Caeſareano cum imperio praefectus eſt, ſeptuageſimum tertium vero, quando faſces cum vita depoſuit: nemo tamen ei vel adoleſcentiae, vel ſenectutis, vitia vmquam exprobrauit. Eadem enim iudicii maturitas fuit in iuuentute eius, quam ſenex habuit: idem vigor animi in ſenectute, quem iuuenis. Longe mitius de eo Turcorum tyrannus, clade ad Zentam affectus, iudicabat, quam olim de Pompeio Sertorius, qui, quum Pompeianos ſuperaſſet, audiſſetque, Metellum aduentare, diremit proelium, reuocatisque ſignis, *Ego*, inquit, *puerum hunc, niſi ſuperueniſſet anus illa, verberibus caſtigatum, domum remiſiſſem.* Erat enim adoleſcens Pompeius, ſenior autem Metellus. Adoleſcentuli autem ad enſiculos aureolos, ſiculas argenteolas, hinnulos ligneolos, et alia puerorum crepundia, aptiores ſunt, quam ad regendos exercitus. EVGENIVS ea iam fuit aetate, quum ſummam imperii obtineret, vt, collatas ſibi, ſummi ducis partes, viriliter tueretur. Sed vna fuit virtus, vna, virtutis comes, trium CAESARVM, LEOPOLDI Patris, duorumque Filiorum, IOSEPHI, et, ad imperii gubernacula nunc feliciter, et glorioſe, ſedentis, CAROLI SEMPER AVGVSTI, indulgentia, quae EVGENIVM ſummo hoc imperii bellici gradu collocauit, ampliſſimisque honoribus auctum, et cumulatum omnibus antetulit, ſolaque ſibi reſeruata maieſtate, praeter ceteros, conſpicuum ac venerabilem reddidit. Vt enim DOMVS haec AVGVSTA, indulgentiſſima praeclarorum ingeniorum nutrix, Virum, omni ſplendidiſſimarum virtutum genere enitere, et, optime de ſe merentem, ſumma diligentia, fide, felicitateque, partes imperatoris adminiſtrare vidit: non ſolum in bellis operam eius magni aeſtimauit, ſed domi quoque ceteris omnibus auctoritate ſuperiorem eſſe voluit. In Equeſtrem enim Aurei velleris ordinem delectus, a ſanctiſſimis AVLAE AVGVSTAE conſiliis fuit: ſenatui, res bellicas moderanti, praefuit; Gubernatoris munere, in prouinciis Inſubrum, et Belgarum, functus eſt: quo honore quum ſe abdicaſſet, Italiae Vicarii nomine praefuit, in Germania Legati partes ſuſtinuit,

nuit, eamque dignitatem vsque ad mortem tenuit. Tantis virtutibus, ac meritis, clarum, tanta in gratia apud tot Caeſares poſitum, tantis denique ornatum titulis, tota Europa ſuſpexit, nemoque fuit, qui non diuini quidpiam ei tribueret, et non tam hominem, quam bonum imperii Chriſtiani genium, in EVGENIO praedicaret aeque, ac veneraretur. Certabant inter ſe ſummi Principes officiis, dum quisque pro ſe tanti Viri amicitiam ſibi conciliare contenderent: mittebant dona regia, quibus obſeruantiam ſuam declararent: veniebant multi in caſtra CAESARIS, Principes Iuuentutis, qui, tali duce, artis militaris rudimenta ponerent: aduentabant exteri ex remotis, transmarinisque regionibus, non alio animo, quam vt hoc, ſaeculi noſtri miraculum, viderent: dubium fuit, magisne amaretur ab inferioribus, quam a Principibus diligeretur, feminae ipſae fecunditate ſua laetabantur, quum cernerent, cui imperatori milites peperiſſent. Pontifex vero Romanus, quanti virtutem EVGENII fecerit, eo declarauit, quod victoria, ad Varadinum Petri, aduerſus communem nominis Chriſtiani hoſtem, potito, eum honorem detulerit, qui, non niſi ſtrenuis religionis Chriſtianae aſſertoribus, Vrbani I. inſtituto, haberi conſueuit; tam parce, vt, noſtra, patrumque memoria, felicitas illa, et dignatio, contigerit nemini. Etenim Clemens XI, fama rei bene geſtae laetatus, non ſolum literis, proelium hoc ſecundiſſimum victori gratulatus eſt, ſed galerum etiam, enſemque, in praemium virtutis, ſempiternamque victoriae reportatae memoriam, dono miſit. Quam expeditionem quum ſuſciperet, profectus in Pannoniam, amplius quinquaginta Principes Europae in comitatu ſuo numerauit; in his Bauaros, Emanuelemque Luſitanum. Nec minore numero ex Luſitania, Belgio, Britannia, Cimbria, Suecia, Boruſſia, Moſcouia, Germania, aliisque Europae regionibus, ad Rhenum confluxerant, non animi voluptatisque cauſa, caſtra CAESARIS ſecuti, ſed fama ducis incitati, id vnum ſpectantes, vt, in artis militaris ſcientia, magis magisque confirmarentur, cernerentque conſilia, labores, pericula, euentusque illius imperatoris, quem ſciebant,

bant, ſua aetate paucos habere pares, ſuperiorem autem neminem. Erat igitur praetorium eius, velut commune quoddam Europae gymnaſium, aut campus Martius, in quo Principes Iuuentutis Chriſtianae, in ſpem vtilitatis publicae, non ſine capitis periculo, exercebantur. Neque rex Boruſſiae infra ſuam dignitatem ponebat, venire in caſtra ad Rhenum, coramque intueri, quid imperator, artis ſuae peritiſſimus, deſtinet, quid ſuſcipiat, quid, quoue ſucceſſu, agat; nec prius reuertit domum, quam, ſe valetudine affectum, ſentiret. Apud hos igitur, ceterosque Principes, quia tantum gratia valebat, ipſique CAESARI erat cariſſimus, non poterat non magnae auctoritatis eſſe in exercitu. Quem enim videbant tot praefecturis, procurationibusque, perculſum, hunc vniuerſi et ſinguli, non ſecus, ac patrem, et amabant impenſius, et ſubmiſſo animo verebantur. Si quando, praecipitante iam autumno, ab exercitu diſcedebat, a patre ſe deſeri, querebantur: ſi, vere ineunte, redibat, ſolo aduentu, tantam ſpem ac laetitiam afferebat omnibus, vt non ſolum ſaluos ſe fore crederent, et ſecunda quaeque ſibi pollicerentur, ſed etiam, vt magno erant animo, ſummo conſenſu, vnoque ore omnes dicerent, ſeſe, quicquid imperauerit, facturos; neue dubitaret ſuam fidem, virtutemque, experiri. Nec tantum milites, ſed etiam prouinciales regionum, belli molem ſuſtinentium, reditu ſuo, confirmatiores ſemper reddidit, vt, vbi paulo ante, omnia tumultus, timoris, fugae, plena erant, ibidem omnes, meliorem fortunam ſibi promittentes, a maximo timore ſeſe recolligerent, cogitationemque apparandae fugae deponerent. De hac vero exiſtimatione, dum vixit, non modo deperdidit nihil, ſed etiam conſeruauit integram, vsque ad mortem: quum aliis ducibus multis acciderit, vt, vel aduerſis rebus, vel inuidia, vel vitio, imprudentiaque propria, ad vltimum gratia principum exciderent, deſpicatuique haberentur. Magni nominis imperator fuit Beliſarius, qui opera, et conſilio, res geſſit, omni aeuo memorabiles: ex eo tamen faſtigio, in quod eum fortuna extulerat, linguae intemperantia, praeter ſuam, et aliorum opinio-

opinionem, in profundum demerſit, re quidem vera immerentem. Longe felicior Beliſario fuit EVGENIVS, quem DOMVS AVGVSTA, vt in viuis conſtanter magni faciebat, ita etiam, fatis ereptum, ſummis honoribus proſecuta eſt, atque, vt palam, quantum ei debeat, profiteretur, tanta publici funeris pompa dignata eſt, quantam, qui coram non vidit, animo concipere vix, ac ne vix quidem, poteſt. Ibit omnino in ſaecula, datum fere id eſſe honoris exſequiis ducis bellici, qui funeri auguſto debetur. Dies erat VII. Idus Quintiles, quo funeri huic opera dari coepit, dies complures in eadem baſilica, qua ſepulcrum meruit, continuanda, pro cuius magnificentia, merito Metellus, Romanus quondam Conſul, pro ianua templi ſtare, et voce illa, quam, de funere Scipionis Aemiliani, ad filios protulit, inclamare praetereuntes, ad luctusque ſocietatem inuitare potuiſſet: Venite, ciues, venite milites, celebrate exſequias, numquam maioris imperatoris funus, numquam magnificentiores exſequias videbitis. Subiturus enim principem baſilicae portam, intuitione valuarum, tenere te non potuiſſes, quin ad limen conſiſteres, viſurus iam illic, et gentilitia mortui inſignia, et ſimulacra, tum honorum, quos geſſit, tum donorum, quae a Pontifice ſummo accepit, armorum partim, partim laurorum, palmarumque, faſciculis inueſtita. Satis id, ad paſcendos oculos, multis viſum eſt, ſed, intro longius progredienti, tanta ſe obiiciebant ſpectacula, vt, quo prius, quoue poſterius, acies oculorum eſſet conuertenda, ignoraſſes. Siue enim parietes templi aliquis intuebatur; tota aedes, pullo veſtita panno, aureisque fimbriis diſtincto, ſqualorem luctumque prae ſe ferebat; ſiue aras, tum minores, ex vtroque latere, duodenas, tum, quae medium tenet, ceteris eminentior, primariam; omnes hae crucem albam, inſigne *Ducum Sabaudiae*, et pileum, oſtentantes, inter palmas, lauroſque ad luctum erant compoſitae. Sed haec ad latera. Medio poſitum erat cenotaphium, quod, innumera fere cereorum, dies aliquot continenter ardentium, multitudine colluſtratum, et magnifica pegmatis, ad LXX pedes exſurgentis, altitu-

altitudine decorum, omnium ora vultusque in ſe conuertebat, dubios relinquens, quid prius, quidue magis, ſuſpicerent, atque admirarentur: vtrum columnas, cum ſuis capitulis, phaſibus, capedunculis, podiis, et contabulationibus; an varia armorum, ſpoliorumque tropaea, an ſtatuas virtutum, cum ſuis inſignibus, artiumque liberalium, cum ſuis ſymbolis; an rotundas, argutas, ſcitasque inſcriptiones; an tumbam inauratam, quam ſex cataphracti, genu altero armis incumbentes, ſuffulciebant, et adſtantibus Aequanimitatis, Magnanimitatis, Felicitatis, atque Immortalitatis ſimulacris, totidemque ſarcophagi angulos tenentibus, duo genii, quorum alter Aurei Velleris ornamentum, aliaque inſignia, alter dona Pontificalia tenuit, conſcendebant; an denique ſpectatu maxime dignam, Principis huius ſtatuam, in apice molis ita collocatam, vt ad fornicem fere templi pertineret. Phidiae opus dixiſſes, tam eleganter periteque fuit efformata; nihilque ei defuit, niſi ſpiritus, qui neruos moueret, vt, qui antea nouerant Virum, eum omnes, etiam poſt fata, in ſtatua viuentem, videre ſibi viderentur. Vidiſſes Heroem, equo generoſo, prioribusque pedibus in ſublime ſe ſurrigente, inſidentem, ornatu militari, Romanorum more, veſtitum, cui, tropaeis, ſignisque militaribus, inferiore loco, vndique prominentibus, altera manu enſem, lauro ambiente conſpicuum, tenenti, genius deſuper caput inuictum, victrici corona redimiebat. Ita auguſto SAPIENTISSIMI CAROLI iudicio, ac iuſſu, Vir, immortalitate dignus, immortalitati conſecratus, et velut in coelum elatus eſt, vt iam EVGENIVM, non quidem DEVM, ſed tamen neque hominem, dixeris, verum Sermonem quemdam Sancum, quem immortalis meritorum gloria, gratiaeque Auguſtae veneratio, in coelum vsque extulit. Laudatus eſt pro roſtris ſacris, a R. P. Franciſco Peikharto, e Societate Ieſu, qui partim fortitudinem EVGENII, proeliis, atque obſidionibus; partim virtutem, pacis, et belli tempore, probatam, breui quidem, ſed neruoſa, et ſatis commoda, oratione praedicauit. Acceſſit enim et hic ſupremus honori EVGENIANO cumulus, laudator eloquentiſſimus.

mus. Tantum intereſt, Auditores, elucere virtute, tantum incidere in tempora illius Principis, qui ſuo pretio virtutem aeſtimat. Sed temporarium hoc fuit cenotaphium; aliud, non minore ſumptu, atque elegantia, HEROIS manibus deſtinatum, apparatur monimentum, in eadem baſilica breui conſtituendum, ne vlla ignoret poſteritas, cuius oſſa noſtra aetas hic condiderit venerabunda. Cui, vt fama percrebuit, quum AVGVSTVS, omnibus liberalibus, Principisque perſona dignis, doctrinae ac ſapientiae ſtudiis percultiſſimus, ſuopte ingenio epigramma paret, dubium eſt, plus ſumtus, an ſalis, cippus ille ſit habiturus. Etſi enim tanto Maecenati non deſint, neque Marones, neque Tullii, quorum opera vti poſſet: dignum tamen EVGENIVM cenſet, cuius monimento eruditum ipſe addat epitaphium, futurum poſteris documento, quantum in oculis tulerit, colueritque Virum, propter hunc lapidem, tam honorifice conditum.

Antequam vero baſilica hac, D. Stephano Sacra, pedem efferamus, Auditores, vbi luculenta EVGENIANAE dignitatis teſtimonia contemplati ſumus, venit mihi in mentem etiam columnarum, quibus aedis illius ſacrae ſtructura ſuffulta eſt. Ad has dum me conuerto, appenſosque de induſtria decem clypeos intueor: totidem illic victorias, quas HEROS iſte, acie decertans reportauit, video, ſimulque admoneor, vt, poſtquam de tribus imperatoris EVGENII decoribus, ſcientia ſcilicet rei militaris, virtute, atque auctoritate, dictum eſt, quartum quoque decus in eo enituiſſe, breuitate ſuccincta, demonſtretur. Vt enim ipſi nobis certos orationis terminos conſtituimus: ita ſequitur, vt de vna reliqua parte decretae laudationis dicendum ſit, in qua plurimum momenti, cum ad reliquas ducis laudes, tum praecipue, ad conciliandam auctoritatem, poſitum eſt. Felicitatem rerum geſtarum intelligo, ſine qua nemo boni imperatoris laudem conſequi, nemo dignitatem tueri poteſt. Ipſa enim auctoritas ducis ex felicitate hac pendet, maluntque propterea non nulli hanc tertio, illam quarto loco reponere, ſecus ac Tullius, quem nos ſecuti ſumus, quatuor illa decora, ad excel-

excellentis imperatoris commendationem, requirens, collocauit. Quid enim ad vtilitatem publicam confert, artes militares noſſe, ſi peritia illa ſecundis careat ſucceſſibus? quid virtutes, ſi eis par non ſit fortuna? bonum illae quidem facient ciuem, ſed non militem, nedum vero imperatorem: quid auctoritas? quae et proſperis rebus conſeruatur, atque augetur, et aduerſis minuitur, atque deperditur. Illius demum ducis laus omnibus numeris abſoluta eſt, qui, praeter alia, ſui ordinis ornamenta, fortunam ſemper in poteſtate habet, ſuis conſiliis non obſtantem, quod de Alexandro M. Q. Curtius praedicat. Atque is quidem a magnitudine rerum geſtarum, Magnus, hic, de quo nobis ſermo eſt, Magnus et Felix dici meruit. Nullum enim bellum geſſit, quod non et prudenter rexiſſet, et confeciſſet feliciter, adeo, vt nihil vmquam aduerſi, eius culpa, in exercitu acciderit, nihil vmquam nulla ratione fecerit, nihil CAESAR deſiderauerit. Quodſi quis in eo hoc reprehendendum putaret, quod vxorem numquam duxerit, vt liberos orbi poſt ſe relinqueret, ſui ſimiles, hunc equidem vix reſponſo dignarer. Si quis enim eſt, cui non ſint compertae rationes, cur antiquitus milites ad matrimonium non fuerint admiſſi, diſcat id potius, ſiue ex Taciti Annalibus, ſiue ex Iuſti Lipſii ad eumdem Commentariis, quam ex ore adoleſcentulorum. Id ſcimus, primum fuiſſe Imperatorem Seuerum, qui, vt miles Romanus vxorem domi haberet, permiſit. Sed tamen, orbitatem exprobranti, dicerem, idem, quod Epaminondas de ſe quondam praedicauit, numquam defore ſtirpem EVGENIO coelibi, quum non vnam, vt Thebanus ille gloriabatur, ſed decem ex ſe natas reliquerit, quae ei non modo ſuperſtites, ſed etiam immortales neceſſario erunt. Omnes illae cognomines ſunt, nomen gentilitium quidem, ſed tamen ex re ipſa ortum, ſortitae, niſi forſitan a loco, vbi quaeque in lucem edita eſt, nomini, quod omnibus commune eſt, aliud peculiare ac proprium, quo facilius inter ſe diſcernantur, adiiciatur. Forma ſingularum honeſta, et liberalis, per omnes aetatis, numquam deſiturae, gradus venuſtiſſima futura, qua omnium oculos in ſe conuer-

conuertunt, omnium animos in ſui admirationem trahunt, omnium mentes, quaenam ſit pulchrior, in dubio relinquunt, niſi quod vna, quam altera, plus ſanguinis hauſiſſe, plus laboris ac moleſtiae in partu attuliſſe, videatur. Sic tamen ſingulae calathos roſarum, ac liliorum, commerciumque eboris, atque oſtri, prae ſe ferunt, vt, conſpicatus easdem, iurares, patrem fuiſſe Martem, matrem autem Mineruam. Neque te haec falleret opinio. Etenim omnino Mars eas genuit, ex vnica vitae durioris Socia, Mineruà, impoſuitque ſingulis nomen, in domo Sabauda, peruſitatum, **victoriae.** Has vero omnes deſponſauit IOVI, deorum omnium, quibus terra domicilium praebet, OPTIMO, MAXIMO, ad radices montis Caeſii, in throno eburneo ſedenti, qui, ſceptrum ſiniſtra tenens, dextra fulmina in capita hoſtium mittit, pedibus autem, inter quos aquila volans Ganymedem portat, gigantes fulminatos conculcat. AVSTRIACVM IOVEM intelligo, **Cuſtodem illum, Propugnatorem, Conſeruatoremque** orbis terrarum potentiſſimum, qui, etſi quamplurimis, non ſolum populis, ſed etiam diis minorum gentium iura dicat antiquitus; ſponſae tamen hae, DOMVM eius, quamuis in ſe ampliſſimam, nouis incrementis maiorem in modum auxerunt, et, praeter pulcherrimum virtutis decus, multa regna potentiſſima, prouincias ampliſſimas, gentes bellicoſiſſimas, inſulas opulentiſſimas, portus celeberrimos, emporia florentiſſima, vrbes copioſiſſimas, arces munitiſſimas, oppida frequentiſſima, caſtella ſplendidiſſima, agros fertiliſſimos, cum maximo rerum omnium apparatu, ſponſo ſuo, ac domino, non inſana cupiditate, ac vi, ſuum aliis eripienti, atque, vt libidinibus ſuis perlitaret, in varias formas ſeſe transmutanti, qualem ſibi deorum ſummum caeca fingebat antiquitas, ſed iuſtitia, et aequitate, rebus humanis moderanti, dotis nomine, in fidem obſequii attulerunt. Vt de ſingulis breuiter dicam, maxima ex his natu ei parta eſt in Hungaria apud flumen Patiſſum, haud procul ac oppida Zentha, nata iam annos vndequadraginta. Hoc enim loco, ductu ſuo, prima potius eſt victoria de Thracibus, Mars ille, toti orienti formidabilis EVGENIVS, cuius partu, tantum effuſum eſt hoſtilis

F ſan-

ſanguinis, vt Iſter, Patiſſum abſorbens, rubore ſuffuſus, cladem acceptam Bizantinis nuntiaret, bicornis luna deliquium paſſa, ſqualorem tetricum indueret, mareque nigrum, cum ſuis accolis, erubeſceret. Dum enim Thraces, occupato Titelio, Szegedinum verſus, diurnis nocturnisque itineribus, contendunt, oppida agrosque longe lateque diripientes, atque incendentes, et Muſtapha, legatus Turcorum, ponte facto, copias ſuas flumen transportat; aduolat praeter omnem opinionem cum exercitu Chriſtiano, EVGENIVS, qui, temporis, locique opportunitate vſus, ponte celeriter tormentis disiecto, hoſtem tranſitu prohibitum, impeditumque, intrepido animo aggreditur, tantaque clade afficit, vt amplius viginti millia ferro perirent, quindecim millia caperentur partim, partim flumine, in quod, deſperata ſalute, ruebant agminatim, demergerentur, quos vero fortuna reliquos fecerat, illi, qua patebat exitus, in fugam dati, ab inſequentibus leuioris armaturae militibus, carptim caederentur. Quod niſi nox proelium diremiſſet, vna dies, omnes ad vnum, qui flumen transierant, abſtuliſſet. Dux ſummus, quem Vezirium vocant, a ſuis, quod fuga prohiberentur, interfectus eſt: Muſtapha, qui aduerſa ripa, cum reliquis abſciſſus, remanſerat, clade ſuorum perterritus, relictis caſtris, impedimentisque, terga vertit, maximisque itineribus, propinquam fugam ad Temesuariam arripuit, nec prius fugiendi finem fecit, quam, permutatis ad celeritatem iumentis, oppidum attingeret: ſigna militaria relata ſunt quingenta, in his praetoriana, quas caudas equinas appellant, ſeptem: tormenta muralia centum, campeſtria ſexaginta: camelorum, cum oneribus ſuis ſex, equorum ſeptem millia; papilionum, armorum, annonae, ſignati aeris, et reliquae ſupellectilis, copia ingens. Ex Caeſareanis deſiderata ſunt capita quadringenta, et triginta, vulneratorum tamen erant mille quingenti nonaginta tres. Fama cladis vbi in Thraciam, ſecundo Iſtro, permanauit, tantus portae Ottomannicae terror incidit, vt, viribus infractis, fortunam reliquam amplius periclitari dubitarent, poſteroque anno, armis depoſitis, pacem a CAESARE petentes, laetitiam, ex tam felici primae victoriae partu, AVSTRIAE augerent.

Pa-

Pacem hanc, Carolouicii initam, excepit funeſta illa, inter DOMVM HABSBVRGICAM, et Burboniam, diſſenſio, quam vero terror ille Turcicus, compluribus victoriis pariter nobilitauit. Dum enim Gallus vacuam regnorum, ditionumque Hiſpanicarum poſſeſſionem inuadit, LEOPOLDVS autem, eamdem ſibi, optimo quidem iure, vindicat, et non tam contra Hiſpanos, quam Gallos, ius ſuum armis iuſtiſſimis perſequitur; tota Europa nouo belli incendio ardere coepit, cuius exſtinguendi curam, adſcitis in auxilium Britannis, ac Batauis, cui maiore fiducia committeret, non habuit, praeter EVGENIVM. Itaque patentiorem campum, exercendae virtutis, declarandaeque fidei, atque integritatis indeptus, ſeptem victorias illuſtres eo bello ex proeliis retulit: vnam in Germania; duas in Belgio, reliquas in Italia. Quarum ſingulas, ſi commemorare ſeiunctim vellem, non ſolum vereor, ne modum orationis excedam, ſed neque video, facturusne eſſem operae pretium, quum rerum, iſthic geſtarum, pleni ſint annales. Quis enim eſt, qui ignoret, ad Clarium caſtra CAESARIS, magno quidem conatu Gallorum, laceſſita, virtute vero EVGENII ita propugnata, vt hoſtis, ſuo damno, diſcere potuerit, cauendum ſibi in poſterum, ne aliena regna inter ſuos partiatur, neue Herculem laceſſat. Idem tamen, quia, poſtero anno, ad Luceriam tentauit, expertus eſt, Caeſareanos non tantum ex munitionibus, aduerſos hoſtium impetus ſuſtinere, ſed etiam in acie ſtare, et aequo Marte ſuperare poſſe. Quo factum, vt Gallus, aduerſis rebus, in Italiae finibus, perterritus, alio loco, ſecundiorem quidem fortunam ſibi promitteret, nouasque in Bauaria amicitias quaerens, maiorem belli molem, in Seuorum fines, transferre conaretur. Id vbi CAESAR intellexit, licet, eodem tempore, non ſolum in Hiſpania, Italia, Belgioque, ſed etiam Hungaria, bello eſſet implicitus, vt mirum videatur, diſtractis copiis, Herculem iſtum contra tantos reſiſtere potuiſſe: DEI tamen immortalis auxilio, iuſtam cauſſam numquam deſerentis, innixus, Hungariam quidem non neglexit, quin potius ciues, ad ſanitatem reuocatos, conſeruauit, patriaeque, turpiſſimis incendiis et ruinis deformatae, conſuluit, ſplendidius tamen atque honeſtius bellum

ſe geſturum contra Regem, credens, quam contra fugitiuorum, perditorumque hominum colluuiem, aduocatis ex Anglia, et Hollandia, pedeſtribus copiis, in Germania quoque ad reſiſtendum ſeſe comparauit. Neque hoſtis quicquam profecit loci mutatione. Etenim, praeterquam quod Alpes Tirolenſes tranſitu fruſtra tentauit, per fines tandem Sueuorum perrupit quidem, ſed ad Hoechſtadium, vbi, de ſumma rerum, ac de ſalute omnium, acerrime decertatum eſt, Herculi noſtro clauam extorquere non potuit, et, amiſſo fere cuncto exercitu, in ſuos ſe fines recipere debuit. Sic, relicta Germania, Vendomius, Gallorum dux, benigniorem fortunam, in finibus Inſubrum, ad flumen Adduam, habere viſus eſt, dum, anno ſaeculi quinto, in campis Caſſani, acriter congrederetur, EVGENIVSque, cum Duce Sabaudiae, vna cum exercitu, proelii quidem loco, ſed non virtute, animoque, cederet: nihilominus tamen et hic CAESAR laudem retulit victoriae, quum hoſtis, tribus partibus maiorem, caeſorum, ac vulneratorum numerum de ſuis, quam de noſtris erant, haberet, vt, ſi quam ſibi forſitan Galli victoriae gloriam, vt fieri conſueuit, arrogant, multorum certe cis ſanguine, et vulneribus, illa ſteterit. Recollectis tamen, vt fieri poterat, viribus, anno ſequenti, id agebat hoſtis, vt omnia, quae Ducis Sabaudiae eſſent, ad extremum verterentur. Hoc nocendi animo vaſtatis oppidis et agris, ſedem ipſam Ducis, Auguſtam Taurinorum, ductu Principis Aurelianenſis, grauiſſima obſidione premens, firmiſſimis ſeſe circumuallauerat munitionibus: antequam tamen hoſtis vrbe potiretur, iam fere ad conſilium deditionis, ob ruinas murorum, tormentis factas, inclinante, EVGENIVS, licet exercitum, multis partibus inferiorem haberet, obſidentes adortus, portas eorum ferreas perfregit, obnixe reluctantes, proſtrauit, ceteros, fuga ſibi ſubductos, ita perturbauit, vt, quum ſeptuaginta eorum adhuc millia eſſent, omni tamen ſpe victoriae abiecta, relicta Italia, per Alpes domum redire, quam fortunam tentare, maluerint. Ita, quum nihil, neque in Germania, neque Italia, ad eorum voluntatem flueret, vertunt ſe, anno ſaeculi octauo, in Belgium, et, facta in Flandriam impreſſione, Gandauum, ſua

ſibi

ſibi mole, amplitudineque loci, praegraue, atque ad reſiſtendum minime idoneum, deinde et Brugam, nulla fere munitione, ad ferendum impetum, inſtructam, ex improuiſo inuadunt: laetitia tamen haec Gallorum diuturna non fuit. Eodem enim, quo haec eripuerunt, menſe, praeſentiam virtutemque EVGENII perſentiſcunt, quando ad Audenardam, acie contendentes, ſedecim millia ſuorum amittunt. Erant enim caeſorum amplius tria, vulneratorum quatuor, captiuorum nouem millia. Anno autem vertente, etiam ea, quae in poteſtatem ſuam ſubegerant, victori CAESARIS exercitui relinquere cogebantur. Supereſt vltima Herois noſtri contra Gallos victoria, cruenta illa quidem, et Gallorum iudicio dubia, quae amplius triginta millia virorum vtrinque aut ſuſtulit, aut vulnerauit; ad Montem Hannoniae: id tamen certum, hoſtem, triplici ſepimento munitum, multitudineque ſuorum, longe praeſtantem, (erant enim Gallorum centum millia) relictis munitionibus, profugiſſe; EVGENIVM autem, vallos foſſasque principem tranſcendiſſe, pugnaeque feciſſe initium, Anglis, Hollandis, Danis, Boruſſis, Hanoueranis, aliisque foederatis, alia ex parte, perrumpentibus, et hoſti perturbato ſigna pariter victricia inferentibus. Sed de Gallicis cladibus ſatis.

Ad aliud belli theatrum, factis EVGENII illuſtratum, ordinis ratio, patriaeque caritas, me inuitat, Auditores. Poſteaquam enim CAESAR CAROLVS, deſideratiſſimo fratre, IOSEPHO, fatis cedente, ex Hiſpania in Germaniam, ad capeſſenda imperii gubernacula reuocatus, Gallicum bellum compoſuiſſet, fuiſſetque tum Regina Magnae Britanniae, Gallorum ſolicitationibus, ab AVSTRIAE amicitia interim auerſa, tum ceteri foederati, ac ſocii, diducti, ac deprauati: haud longe poſt, noua tempeſtas, ab oriente ſole exorta, Venetorum primum rebus, mox et Pannoniorum imminere coepit, quum Thraces, conditionibus pacis Carolouicenae turpiter, ac perfide, violatis, non Peloponneſum modo occuparent, ſed etiam infeſtarent CAESARIS regiones. Quam tamen idem Heros incredibili felicitate, tantaque celeritate disiecit, ac diſſipauit, vt, altero poſt anno, barbaris pacem quaerentibus, tempeſtatem hanc ſerenitas illa, qua Pannonia adhuc perfruitur, con-

ſequeretur. Sequitur ergo nona EVGENII victoria, tanto quidem glorioſior, quanto res fuit periculi plenior.

Enim vero, ſi quo vmquam loco, profecto ad Varadinum Petri, in magno diſcrimine exercitus Caeſareanus fuit, vbi nec ſpes vlla victoriae apparebat, nec vllum fugae conſilium noſtris, vndique clauſis, reliquum eſſe videbatur. Impiis tamen hominum ferorum conatibus, Deo bene iuuante, EVGENIVS ſic obſtitit, vt non tantum exercitum ſaluum atque incolumem eduxerit ex anguſtiis, in tutoque collocauerit, ſed etiam mala plurima omnium, qui cum Turcis vmquam conflixerunt, ducum, in gentem Ottomannicam intulerit. Recordabantur enim barbari cladis adhuc Zenthanae, qua copias diminutas nondum redintegrauerant, tantoque acerbiore dolore, atque iracundia, accenſi, minas, vindictamque, in caput victoris ſpirabant: ſed tamen vindicauit et hic CAESARIS dignitatem EVGENIVS, neque iniurias Venetorum neglexit. Neque enim Thrax ſciebat occaſione vti; Allobrox autem, vir acutiſſimus, atque ingenioſiſſimus, pro periculi magnitudine, ea ſolertia fuit, vt, quia animum ad cauendum maxime intendebat, decipi nulla ratione potuerit, exitum autem inuenerit feliciſſimum. Erat ſcilicet in eo barbarus, fidens ſuorum multitudini, paucitatemque Chriſtianorum deſpiciens, vti et Petrouaradinum eriperet, et exercitum noſtrorum, numero prorſus imparem, ad internecionem deleret. Vix enim tertiam partem barbarorum Chriſtiani numero ſuo adaequabant, iamque ipſi, qui, ad prohibendam munimenti oppugnationem, venerant, admotis ab hoſte tormentis, conſtitutis vineis, iniectisque ignibus, ſumma vi oppugnabantur. Quamobrem erant, qui cenſerent, loco eſſe cedendum, ne quam acciperent contumeliam: at is, qui numquam ſe demittebat animo, neque hic ſpem fortunae melioris depoſuit, omnique ratione vincendum eſſe cogitauit, inconſultum exiſtimans, pedem inde referre, vbi nullus receptui locus eſſet, non tantum illis, qui nihil prius potiusue victoria haberent, ſed ne iis quidem, qui nihil, praeterquam de vita, cogitarent. Nihil ergo mouebatur impetu hoſtium, nihil tormentorum crepitu, nihil globorum, fuſili ex ferro candentium, caſtris iniecta, multitu-

tudine, nihil denique literis hoſtium, quibus Loeffelholzius, qui praeſidio praefuit, ad deditionem ſolicitatus eſt, tam arroganter, inflatoque animo, ſcriptis, vt, niſi hic mature ciuitatem ſibi permiſerit, breuem, ille nuntiaret, fore, admotis tormentis, conſulendi rationem, crudeliter et praeſidio ſeruitutem, et oppidanis internecionem comminatus. Reſponſum eſt Turcis ad epiſtolam, die ſtatim poſtero, non ſtilo ſcriptorio, ſed gladio, eoque internecino; non atramento, ſed ſanguine, eoque Turcico, quando, producti ex munitionibus caſtrorum, Chriſtiani caſtra oppugnantium haud dubitanter inuaſerunt, et triginta circiter millibus barbarorum caeſis, reliquos omnes diſſiparunt, caſtrisque, et omnibus impedimentis, potiti, tormenta, in ſuam perniciem producta, centum quadraginta nouem; ſigna militaria centum quinquaginta nouem, in his praetoriana quinque; apparatus bellici, reique frumentariae magnam copiam; camelorum, equorum, bubalorum, taurorum, ingentem numerum, praedae loco habuerunt. Praefectus eorum, vulgo Vezirius, qui, re adhuc integra, pridie eius diei, obſeſſis nuntiauerat, ſe, nec aetate confectis, nec mulieribus, nec infantibus, parcere velle, calamitate tanta fractus, metuensque, ne, re male geſta, domi gula ſibi etiam laqueo frangeretur, deſperata ſalute, acerrime pugnans, morti vltro ſe obtulit, ſuis autem tanto plus nocuit, quod, victoriam ſibi arroganter pollicitus, ponte Saui reſciſſo, fugam ſuis, dedita opera, praecluſerat.

Atque haec quidem plaga Thracibus fuit non mediocris, illa vero peſtifera, qua, ſequentis anni aeſtiuis, quando, recollectis aliquatenus viribus, Tauruno auxilium ferre volebant, Sultani opes ita corruerunt, vt eius imperium, ex eo tempore, ad exitium inclinauerit. EVGENIVS enim, vt Chriſtianum nomen, a perfidia, iniuriisque, barbarorum, etiam atque etiam vindicaret, recepta Temesuaria, ad recuperandam Albam Graecam, animum adiunxerat. Erat vero munimentum hoc totius regni Turcici valentiſſimum, quod Chriſtiani, viginti quatuor ante annis, fruſtra oppugnarunt: viris, equis, armis, omnique apparatu, fuit inſtructiſſimum: aduolauerat immanis Turcorum multitudo, cuius fiducia vrbs

tanto pertinacius reſiſtebat: fiebant in Caeſareanos crebrae ex vrbe eruptiones, ex caſtris vehementes ac violenti impetus: nullus dabatur noſtris in vlteriorem Danubii ripam receptus: ſtupebat orbis incerto rerum euentu, nec, quid ſperandum ſit, videbat. His tamen difficultatibus EVGENIVS, obſeſſo iam, quam obſidenti, ſimilior, expediuit ſe feliciſſime, atque, non ſolum hoſtem externum, caeſum profligatumque, caſtris exuit, ſed paullo poſt, vrbem quoque cum arce, quam, ducentos fere annos, tyrannis barbarorum captiuam tenebat, ad deditionem cogit. Innumerabilem enim eorum multitudinem, qui vrbi, obſidione laboranti, auxilio venerant, triplici vallo, foſſaque, circumſeptam, aggreſſus, munitiones firmiſſimas perfregit, et, millibus nouem caeſis, reliquos, obnixe repugnantes, latibulis ſuis eiecit, vt, qui acceptam, ſuperioribus aeſtiuis, cladem, ſiue reſarcire, ſiue vlciſci volebant, noua rurſus affecti, a manu profecto exigua, et vix quartam barbarorum partem exaequante, victricibus CAESARIS aquilis loco cederent, praecipitique, et turpiſſima, fuga, eo, vnde venerant, rebus infectis, reuerterentur. Dederunt hic iuſtiſſimas nefandae perfidiae poenas, vbi DEVS, periuriorum vindex, ſe ipſum a partibus Chriſtianorum ſtetiſſe, nubis ſpiſſioris praeſentia, non ſecus, atque olim in populo Iudaico, declarauit, et barbaros, quibus ante EVGENIANA tempora, res ſecundiores, diuturnioremque impunitatem, conceſſerat, eo grauius tandem, pro ſcelere eorum, vltus eſt. Mirabatur orbis Chriſtianus, in tanta periculi magnitudine, ſuos viciſſe, nec fidem prius, quam fama excedere videbatur, nuntiis, curſoribusque habuit, quam caudas equinas Thracum nouem, de reliquis ſignis quinquaginta nouem, Vindobona videret, fidemque dubitantibus faceret. Sed illud admiratione magis dignum, quod, quum in vrbe trigintamillia armatorum eſſent, EVGENIVSque, ne, tempore conflictus, ſua caſtra defenſoribus nudarentur, aliquot millia de ſuis, praeſidio, excipiendoque impetui, reliquiſſet: illi tamen ex vrbis latebris non prodierint, durante ſeptem horas conflictu. DEI immortalis ſcilicet id fuit beneficium, CAESARI, EVGENIOque fauentis, vt oppidani pugnatam pugnam ne animaduerterent quidem, vt ſupra dictum eſt. Co-

Cognita igitur ſuorum clade, ac fuga, etſi nulla adhuc rei frumentariae difficultate afficerentur, verentes tamen, ne ſero conſilium, permittendae ciuitatis, ineuntes, grauiores nimiae pertinaciae, atque arrogantiae, poenas darent, conatu reſiſtendi deſtiterunt, et ad eum, quem paullo ante contemnebant, caduceatores de deditione miſerunt, liberum ad ſuos commeatum quam ſubiectiſſime petentes. Vbi vero precibus, et miſericordiae datus eſt locus, impetrata ad ſuos decedendi facultate, biduo poſt, conuaſatis, vt breuitas temporis permittebat, ſarcinis, profligatos ſecuti, clauſtrum hoc, et palladium Turcici contra Chriſtianos imperii, vt ipſi arbitrabantur, inexpugnabile, cum quadringentis triginta quatuor, ferreis aeneisque, tormentis, magno Sultani ſui dolore, et damno, reliquerunt. Duobus ita locis victi, duobus amiſſis propugnaculis, attritis, exhauſtisque imperii ſui viribus, vnum ſupereſſe videbant ſolatium, ſaluti ſuae iam in Thracia timentes, vt, perfidiae, maleficiorumque, conſcientia incitati, gratiam CAROLI CLEMENTISSIMI mature ſibi reconciliarent, conſiliorumque obliti, ad pacis conditiones, quas demum cumque CAESAR propoſuerit, deſcenderent. Haec tanta ſunt, vt, ſi nihil in Germania, nihil in Italia, nihil in Belgio geſſiſſet EVGENIVS, ſola Pannonia, cuius opes ita iam afflictae erant, vt priſtini ſplendoris ac potentiae vix veſtigia ſupereſſent, in integrum reſtituta; quid dico Pannonia? ſola vel Temeſuariae, vel Tauruni, recuperatio, omnibus ſaeculis memoranda, abunde ſufficeret, ad immortalem felicitatis EVGENIANAE gloriam. Hac enim vltima in Turcos expeditione id profecit, vt Temeſuaria cum ſexcentis quinquaginta oppidis, Valachia dimidia ſui parte, Seruia tantum non tota, Boſnia et Croatia magnam partem, ad Hungariam poſtliminio redirent; Italia vero tota, quam Sultanus iam ſpe deuorauerat, cum primis autem Venetorum reſpublica, metu ſeruitutis barbarae liberaretur. Ita enim indicabat ipſe Turcorum legatus, cui pacis redintegrandae Paſſarouicii negotium datum erat, palam dicens, EVGENIVM eſſe, cui Itali in acceptis ferant, quod non ſint in poteſtatem Portae Ottomannicae ſubacti. In columnas igitur illas, quae ad deſignandos vtriusque imperii limites, ex pactione Paſſarouicenſi, conſtitutae ſunt, merito inſcriptio illa, Decebalo trans Iſtrum

quondam deuicto, temeritatem exprobans, ex Dacia, quam vnum flumen diſcludit, huc transferri, incidique, potuiſſet: NONNE DIXI TIBI, BARBARE, FVNESTVM ESSE, HERCVLEM LACESSERE? Quodſi vero ex Hungaria in ceteras Europae partes abeas, ſi, quot vrbes, arces, caſtella, per vim, aut deditionem, ceperit EVGENIVS, quaeras; ſi denique, quanta induſtria, bello vltimo, Gallorum conatus repreſſerit, cogites: tanta paſſim in Germania, Sicilia, vlteriore, citerioreue, Sardinia, Mediolano, Mantua, Monteferato, Pedemontio, Parma, Mirandola, Brabantia, Flandria, Hannonia, Arteſia, et alibi paſſim, virtutis EVGENII victricis, reperies monumenta, vt non decem, ſed vel decies decem victorias retuliſſe, filiabus, in Germania, Italia, Pannonia, ex ſe natis, IOVIQVE AVSTRIACO elocatis, pulcherrimam, atque ampliſſimam, dotem conſtituiſſe, et priſcorum gentis Martiae luminum claritudinem rerum geſtarum ſplendore ac gloria, obſcuraſſe videatur. Quae omnia ſi perſequi animus eſſet, verendum foret, ne prius dies, quam rerum copia, nos deficiat, licet Veſtram in audiendo patientiam, quaſi plura a nobis expectantem, defatigari, non ſentiamus. Quod enim de Achille Xenophon, idem de EVGENIO veriſſime affirmare poſſumus, *eum tanta, tamque praeclara, monumenta ſui excitaſſe, vt nec dicendo, nec audiendo, de ipſo quisquam ſatietur.*

Quamobrem, vt hic finem dicendi faciamus, ad TE, PATER PATRIAE OPTIME, PACATOR ORBIS FELICISSIME, CAROLE SEMPER AVGVSTE, CAROLO MAGNO MAIOR, CAROLO SECVNDO SANCTIOR, CAROLO TERTIO FORTVNATIOR, CAROLO QVARTO IVSTI ET AEQVI OBSERVANTIOR, CAROLO QVINTO PAR, ad TE, inquam, CAROLE SEXTE, noſtra ſe conuertit oratio, cuius, poſt DEVM, auſpicio, ac praeſidio, pacem atque incolumitatem noſtram, publicam priuatamque, vnice debemus. TE, Traiano meliorem, TE, Auguſto feliciorem, noſtrum autem ſaeculum, CAROLINVM, id eſt, florentiſſimum, atque auſpicatiſſimum, omnis vocabit, praedicabitque, poſteritas, qui fama rerum geſtarum orbem terrarum impleuiſti, qui immortalem MAIORVM TVORVM gloriam, nouis acceſſionibus cumulaſti; qui Hunga-

gariam TVAM, compoſitis motibus ciuilibus, depulſoque barbarorum metu, integritati ſuae, florique priſtino, reſtituiſti. Fruere cum AVGVSTA TVA DOMO, iam laborum TVORVM, quos, pro ſalute noſtra, ſuſcepiſti fructu, quam diutiſſime: vtere ſponſarum TVARVM, quas, ex Marte Allobroge natas, perpetuo, arctisſimoque foedere, TIBI ſanctiſſime deuinxiſti, dote ac deliciis, quam tutiſſime: age, quidquid deſtinas, quidquid occipis, pro gloria DEI, tuorumque ſalute, quam optatisſime: impera terris, rege populos, tuere Principes, dominare, terra marique, quam florentiſſime: vince hoſtes, ſi qui otium, nobis abs TE conciliatum, in poſterum turbare non dubitauerint, quam felicisſime: laetare dulciſſimae FILIAE AVGVSTAE, MARIAE THERESIAE, fecunditate, laetare felici nepotum procreandorum ſpe, laetare nouis DOMVS AVGVSTAE incrementis, quam conſtantiſſime, vt ex TE aliquando filios, et ex Sereniſſimo GENERO nepotem, noſtra gaudia morantem, propediem videamus, atque, ex INCLYTA DOMO AVSTRIAE, duodeuiceſimum CAESAREM, in ſolio paterno, auitoque, pari felicitate, atque gloria, ſedentem, videat, numeret, veneretur poſteritas. Seruet DEVS TVAS TIBI delicias, natu minorem filiam, AVGVSTAM PRINCIPEM, MARIAM ANNAM, in ſpem nouae affinitatis, poſſeſſionem regnorum, amplificationem familiae, ſolatium gentium, adoloſcentem, quae omnibus, quas animus concipere poteſt, animi pariter, atque corporis, dotibus, virgine, tam antiquae, tam excelſae, originis, digniſſimis, exornata, abundeque cumulata, multorum principum ſummorum mentes, in ſe defixas, exſpectationeque, ac deſiderio ſui, accenſas, ad honeſtam aemulationem, contentionemque dudum concitauit. Pax, quam Europae concilias, vt ſit diuturna, perpetua, ſolida, id omnibus votis, ac precibus, expoſcimus: ſi quid vero nouorum, ſiue Eurus, a palude Maeotide, Cherſoneſoque Taurica, ſiue Zephyrus, ab Herculis columnis, *plus vltra* pertinaciter poſcentibus, turbarum conflauerit, quod DEVS immortalis clementer auertat; idem NVMEN CAELESTE, quam poſſumus, religioſiſſime precamur, vt, TIBI, TVAE que DOMVI AVGVSTAE,

STAE, nullo non tempore, ſit propitium, talesque ſemper, qualem habuiſti, concedat EVGENIOS, qui artis militaris ſcientia excellant; qui omni virtutum genere eluceant; qui, in dignitatis imperatoriae faſtigio collocati, de republica ſtrenue merentes, et TVAE PERSONAE maieſtatem defendant, et ſuae auctoritatem tueantur; qui denique, omnibus negotiis fauſte, feliciter, proſpere, et ad voluntatem TVAM, fluentibus, alias poſt alias victorias, de quibuscumque imperii TVI hoſtibus, referentes, ſpolia ad pedes TVOS, lauros triumphales in CAPVT TVVM AVGVSTVM, tot victricibus iam coronis VENERABILE, deponant. Tuas vero, deſideratiſſime EVGENI, laudes, omnem ingenii atque orationis vim ſuperantes, ne noſtra in dicendo tenuitate deterere potius, quam celebrare, videamur: hic orationem abrumpimus, TE, ſummum, in arte bellandi, VIRVM, ſummis, in arte dicendi, Viris, pro dignitate TVA, praedicandum, relinquimus, atque hoc TIBI, qui tot coronas, et caſtrenſes, et obſidionales, et murales, et nauales, et ciuicas, et triumphales meruiſti, ſex harum, diuerſi generis, coronarum loco, hoc pietatis et cultus, quem manibus TVIS debemus, rudi Minerua conceptum, ſenarioque numero comprehenſum, ponimus monimentum:

Martia gens, luge! qui nullo victus ab hoſte eſt,
Hunc domat, huic aufert ferreus arma ſopor,
Claudit in aeternam, dum dormit, lumina noctem
TVRCICVS, HISPANVS, GALLICVS EVGENIVS.
Non hominem reor: ergo deum? non: ſemihemonem:
Fata docent, hominem: facta, fuiſſe deum.
CAESARIS imperio nocuit nihil vllus alaſtor,
Dum bonus hic genius Martia frena regit.
Rhenus ad occaſum donec fluet; Iſter ad ortum;
Adria dum Padum, Belga Iſalamque bibet;
EVGENII nomen toto celebrabitur orbe,
Nec locus, aut tempus, quo moriatur, erit.

IV. DE-

IV.

DECLAMATIO
DE
REPREHENDENDA ELEGANTIORIS LITTERATVRAE CVLTORVM CVNCTATIONE

CONSCRIPTA
ET IN
CONVENTV SOCIETATIS LATINAE
HABITA
A

IOH. MARCO SPAETHIO
PAPPENHEIMENSI
SOCIET. LATINAE SODALI.

SI nullis aliis ex rebus luculenter admodum perſpici poſſet, magnam optimarum artium ſtudia et rem militarem inter ſe habere conuenientiam; vel ex eo clariſſime pateret, quod vniuerſa res publica litteraria pariter, ac militia ſuos habet Fabios, ſuos cunctatores. Et qui in hunc cenſum nonnullos elegantiorum litterarum cultores referre, eorumque nimiam diligentiam acriori ſale perſtringere ſolent, a vero, meo quidem animo, non aberrare videntur. Quemadmodum enim haud pauci eam animo imbiberunt ſententiam, ex omnibus, quae in vulgus edimus, ſcriptis proſcribendam, et, vt exiguam ac vilem ſcholaſticae eruditionis portiunculam, ad paucos Paedagogos, rudes et moroſos homines, relegandam eſſe ſermonis latini copiam ac maieſtatem; ſic quoque in mira illorum paucitate, qui aequius de liberaliſſimis his ſtudiis iudicare norunt, in colendis manſuetiorum Muſarum delubris peruerſe multos verſari, triſtiſſima certe experientia habemus comprobatum.

Quorum ex numero quum iſti ſint, quos dixi, cunctatores; improbandam eſſe ipſorum in bonas litteras incumbendi rationem, neque tantam in ſtudiorum cultura, quantam in gerendo bello Romanorum ille Fabius adeptus eſt, mereri laudem, facile dixerim. Difficile eſt dictu, Auditores, quot modis hac in re offendant litterarum manſuetiorum amantes. Quis enim omnium rerum tam eſt ignarus, vt plane ſuperſtitioſam illorum induſtriam neſciat, qui in componendis ſcriptis ſuis eas tantummodo voces, eas loquendi formulas, eamque ſolam coniungendi adhibent rationem, quibus vſus eſt immortalis ille romanae eloquentiae parens? Omnes alii, elegantiſſimi licet, caſtae et pudicae latinitatis ſcriptores, ab ipſo, quem vnice in deliciis habent, Tullio mirum in modum collaudati, ſordent huius notae homuncionibus, qui ſe ipſi non ſolum Ciceronianos, ſi Diis placet, vocare ſolent, verum

rum etiam, vt ab aliis ita adpellentur, inſolenter contendunt: quid? quod graeculo faſtu abrepti, quosuis ſecus ſentientes capite fere et fortunis oppugnant. Quam praeclara inde tropaea? quanta monimenta? quanti triumphi? En leuiſſimorum hominum minutias! en ineptam prorſus eorum ſuperſtitionem, qui ſolius Ciceronis, veluti Sireniis ſcopulis, inhaerent ſcriptis, ea ſola manibus terunt, eorum non voculas modo, ſed ſyllabas omnes, immo litteras trutina mentis examinant, aliaque, quod caput eſt, omnia putant quisquilias. Ridicula ſane res, et ipſis Saturnalibus digna! Quis, quaeſo, credat, niſi mortalium ſtultiſſimus, omnes, quae in vniuerſo hoc mundo occurrunt, res Tullium noſtrum cognitas, animoque comprehenſas habuiſſe, ne dicam, ingenii ſui prope diuini mandaſſe monimentis? Quot illorum interierunt? quot commune illud naufragium euaſerunt?

Quae quum ita ſint; qui fieri aliter poteſt, Auditores, quam vt pleraque animi ſui ſenſa vel prorſus exprimere dicendo nequeant alteri illi Cicerones, vel circuitu tam inepto circumſcribant res cogitatas, vt cuiuis lectori bilem moueant, ac faſtidium. Et licet hoc tam illos impediat, quo minus promte aliquid ſcribere poſſint, quam quod maxime; tamen et illud accedit, quod adeo perperam effingere conantur Ciceronem, vt omnes ipſius ambitus, omnia voces diſtinguendi ſigna, omnes denique voculas ſyllabasque, quin immo caſus et tempora omnia ad ipſius exemplum conforment, et ſic multa infarciant aliena, multa, quae ad rem pertinent, prorſus ommittant. Non haeſitant in ſcribendo, ſed haerent, vngues rodunt, mordent calamos, et tantum, vt breui omnia comprehendam, temporis, Manutii more, in exaranda vna epiſtola conſumunt, quantum alius, cui ſana imitatio curae, cordique eſt, vix ducentis tribueret. Vtinam reuiuiſceret ſummus ille dicendi ſcribendique doctor! quam rideret doctiſſimos ceteroqui viros, Nizolium, Palearium, Longolium

lium, et, qui primo loco nominandus erat, Bembum, ſimias ſuos, et ſyllabarum aucupes? quam aliorum linguae romanae ſcriptorum, quos vulgo claſſicos vocamus, prauos et inſulſos eluderet imitatores?

Quae cunctatorum vitia, quamuis concordi omnium ſuffragatione ſint peſſima; tamen, qui rem paullo accuratius conſiderauerit, facili intelliget negotio, multo his reſtare maiora. Ita enim natura comparatum eſſe videtur, vt, ſi quis paullulum aberrauerit a recto tramite, pluribus ſemper ſalebroſis itineris difficultatibus ita retineatur, vt in regiam fere viam reduci nequeat. Fuerunt enim, et, quod vehementiſſime dolet res publica litteraria, ſunt etiamnunc, qui in numero, vti vocant, oratorio iuſto maiorem collocent, induſtriam, et de ipſa litterarum in vocibus colligatione ſubtiliter diſputent, Ariſtomachi illius Solenſis haud diſſimiles, quem in natura et compoſitione muſcarum indaganda, ſaltibusque pulicum metiendis, ſexaginta amplius annos conſumſiſſe accepimus. Ego quidem quoties praepoſtera hac quandrandae orationis cogito ratione: cogito autem ſaepius; toties permirum mihi videtur, haud raro homines eo procedere dementiae, vt in principio quoque et inedio comprehenſionum pedes ſectentur, et numeros, omnemque Tullii noſtri eloquentiam ſe exaequaſſe putent, ſi formula quadam, ipſi prae ceteris familiari, ambitum finierint.

Iam vosmet ipſi apud animos veſtros cogitate, ſi placet, Auditores, quanto impedimento abſona haec, et minus neceſſaria numeri oratorii obſeruatio ſit illis, qui litteris aliquid conſignare, aut orationes, coram litterato aliquo hominum coetu habendas, conſcribere cupiant: apud animos, quaeſo, cogitate, quanto molimine nihil agant vmbratici iſti nugarum artifices, atque artichectri. Sua ſponte fluat, haud intorquea-

queatur, numeriſue adſtringatur oratio, quae ſuauiſſimo ſuo concentu maxime tenere audientes, eosque ſine ſatietate delectare debeat. Si enim elaborata concinnitas, et quoddam delectationis aucupium manifeſto deprehenditur; tum omnis orationis peribit dignitas, vel etiam venuſtas, et decora quaedam negligentia multo maioris a cordatis viris aeſtimabitur. Quod ſi naturam ſequi ſapientis eſt; auribus, conſuetudine optimos legendi ſcriptores tritis, et exercitis, rem tot et contrariis ſaepe numero regulis impeditam, relinquendam eſſe, conſultius ducimus: quibus ſi obſequamur, et ſonora, et ſuauis, et iucunda erit oratio. Sic diſcemus, quam faſtidioſiſſimum illarum ſit iudicium, ſecernere languidis ſonantia, aſperis et horridis mollia, et tum demum ſermonem noſtrum omnibus, qui rerum intelligentes ſunt, probabimus.

Nam qui id tantum ſuaue atque elegans dicendi genus exiſtimat, in quo omnes verborum, omnes ſententiarum illigantur lepores; illius animum ab inficeta illa ſophiſtarum loquentia haud abhorrere, non iniuria credimus. Sicut videlicet Herculem, aliumue grauem virum, non decet, calceis vti ſicyoniis, vtpote qui minime ſunt viriles; ita non minus deformat effeminata illa leuitas, et fuco eminens color oratorem, qui calamiſtros, nimiumque ornatum quam maxime remouere ſtudet. Tantum ſane abeſt, vt illis cincinnis quisquam emunctae naris poſſit delectari, vt potius a peritiſſimo quoque harum rerum quam maxime deſpiciantur. Maximam praeter ea vitae partem in carpendis vndique eiusmodi floſculis conſumunt leuiſſimi iſti homunciones, ita vt, qui eos cunctatoribus non adſcribendos cenſeat, eſſe arbitrer neminem.

Ne igitur immoderatum hoc ſtudium et obſcuram diligentiam imitemur, Auditores! Qua ratione, per Deum immortalem! hi homines rebus gerendis apti euadere, et negotia conficere poſſunt? Num acri hac cura, quae deterit magis,

G quam

quam exornat ſcripta, vtilitatem cuiquam adferunt? Num ipſis inde aliquid emolumenti capere licet? Inani quodam laudis ſtudio ducti ingenium ſuum vt commendent, maximopere laborant, et vana impelluntur oſtentatione, vt reprehendenda induſtria ingenii ſui foetibus dies omnes conſecrent, noctesque, iisque haud raro, maximo litterarum damno, immoriantur. Neque tamen is ego ſum, qui iuſtam improbem diligentiam, aut eos laudibus efferam, qui ſua effundunt potius, quam conſcribunt. Oleant, quae lucubrantur, opera lucernam: lima adhibeatur mordaciſſima: tum vero in lucem emittantur publicam: vt vbique optimum illud dictum, NE QVID NIMIS, obſeruatum eſſe videatur.

II. DIS-

II.
DISSERTATIONES.

Digitized by Google

I.

IOHANNIS IACOBI SCHAZII

GYMNASII ISENACENSIS DIRECTORIS ET BIBLIOTHECAE PRAEFECTI, POST GYMNASIARCHAE ARGENTORATENSIS, CLASSIS SELECTAE DIRECTORIS ET BIBLIOTHECAE ACADEMICAE PRAEFECTI

DISSERTATIO PHILOLOGICA

DE

LATINA LINGVA

EX SOLA

CVM LATINE LOQVENTIBVS

CONSVETVDINE DISCENDA.

MAgnus omnino, isque varius, immo infinitus fere labor eſt, quem multis abhinc annis quamplurimi illorum in ſe ſuscepere, qui latinae potiſſimum linguae notitiam cum ceteris, quibus iuuenilis aetas impertiri ſolet, ſcientiis faciliori ratione, viaque magis expedita, tradere aliis annixi ſunt.

Nec omnem omnino operam perdidiſſe, ſed multum potius plerosque profeciſſe credas, qui miſſis quibuslibet ambagibus, quibus diſcentes ſuos ante haec tempora miſere fatigare conſueuerunt ludorum moderatores, recta ſtatim et breuiori via ad praeclara illa Muſarum atria penetrare ſategerunt.

Solius quippe ſermonis latini addiſcendi rationem, qua ſuperiori adhuc ſaeculo plerique docentium vſi ſunt, ſi quis accuratius mecum examinauerit, ſimulque recordatus fuerit, quot quantisque verborum minis et obiurgationibus, quantisue plagis et fuſtibus immiſericordes multi Paedagogi iuueniles diſcipulorum animos et corpora ſubinde excruciauerint; quantoue temporis diſpendio prima vix ſtili Romani principia iisdem nota fecerint; mirabuntur ſane ab ingenuis parentibus nati, qua ſpe quoue pacto caecis iſtiusmodi viae ducibus committi, vel iis commiſſi apud eos commorari, acerbiſſimasque illorum vexationes, per aliquot luſtra ſuſtinendas, vel per menſis ſpatium ferre aequo animo potuerint.

Ego quidem quantum memoria repetere poſſum praeterita, tanta priſtini temporis fuit acerbitas, vt, ſi cum noſtra illam aetate comparaueris, doctam adoleſcentulis noſtris per ſomnum quaſi Mineruam venire putares, quae maioribus noſtris varias inter afflictiones atque ſudores nonniſi e longinquo conſpiciendam ſeſe praebuit; cuius rei cauſſam non in ipſis ſcientiis atque diſciplinis, ſed in peruerſa potius et minus congrua illas tradendi ratione recte quaeſiueris.

Inſul-

Inſulſos autem illos adque docendum minime aptos meliorum litterarum magiſtros ne innoxios et omni vacantes culpa damnaſſe cuiquam videar; iuuabit paucis enarrare, quo potiſſimum modo in communicandis latini ſermonis elementis vſi fuerint, quantasque per ambages puerorum linguas ad latine loquendum adſuefecerint.

Sufficiens vocabulorum copia, ſelectioresque loquendi formulae, prima merito omnium illorum, qui Latinitati operam nauarunt, quouis tempore cura fuit. Hi vero ſermonis apparatus quum non niſi ex optimis auctoribus, qui ipſi caſte pureque locuti ſunt, depromi debeant; ſeipſos pariter, ac miſeram iuuentutem turpiter omnino omnes illi fefellerunt et adhuc fallunt, qui puram iſtam Latinitatem ex impuro cuiusuis, quod vocant, latinae linguae veſtibulo ſecure hauriri autumant. Tantum enim abeſt, vt caſtam illa nobis Latinitatem exhibeant, vt potius ob ſexcentos, quos continent, barbariſmos et ſoloeciſmos pro publicis haberi proſtibulis mereantur, e tota re Latinorum publica ſummae cum infamiae nota proſcribendis. Taceo, quod et alii vocabulorum phraſiumque faſciculi, quorum auctores nullius prorſus ſelectionis rationem habuere, ſuperuacanea multa et minus neceſſaria ſaepe complectantur, quae in lectione auctorum, ipſoque ſermonis latini vſu non niſi rariſſime occurrunt, adeoque non quidem omnino negligenda ſunt, ſed a tironibus ſaltem differri ſine dubio citraque omnem iacturam et poſſunt et debent.

Proximus ſtilo Romano operam dantium labor eſt, vt regulas Grammaticorum cum etymologicas, tum ſyntacticas, vt loquuntur, notas ſibi faciant, easque cum ſano vbiuis iudicio applicare diſcant. In his autem cum tenera illa aetate communicandis quam peruerſe iterum et imprudenter olim egerint doctiſſimi multi ſcholarum corruptores, vel exinde patet, quod egregie ſe diſcentibus conſulere putarunt, ſi nullo plane praeceptorum habito delectu ex grammatica aliqua ignoto illis ſtilo conſcripta maiora quotidie penſa memoriae mandanda iisdem definiuerint: quorum recitatione deinde otioſi illi ignorantiae patroni non integras tantum horas diesque, ſed omne fere tempus, regulis illis tum explicandis, tum

variis loquendi formulis imitandis maiori cum fructu tribuendum, nefarie conſumſerunt, dirisque ſimul minis et plagis infelices ſuos diſcipulos vexarunt, ſi in recitandis, quae numquam intellexere, praeceptis aliquantum allucinati fuerint.

Memoriam miſerandae iuuentutis ſi per decennium, et quod excurrerat, ediſcendis illis, maximam partem inutilibus, futilibusque, latini ſermonis excrementis, regulisque, tenebris Aegypti obſcurioribus, diu ſatis fatigarunt, quumque ad ipſam auctorum, quos claſſicos vocant, lectionem accedendum tandem iis viſum eſt, incredibile plerisque videatur, quam parum illi per reliquum curſus ſcholaſtici ſpatium profecerint: ita quidem, vt ſi praeter duos tresue Nepotis Imperatores totidemque Ciceronis epiſtolas vnicam, ſi Diis placet, eiusdem auctoris orationem, cum vna alteraue Ouidii Virgiliique Elegia vel Ecloga, praelegendo abſoluerint, officio ſuo egregie ſatisfeciſſe ſibi perſuadeant: cetera omnia ad ſuperiora Doctorum Academicorum ſubſellia temere ſatis relegantes.

Hoc autem quî fieri poſſit, ſi forte ex me quaeſiueris, in promtu eſt ratio. Non in eo, quod fieri debuit, operam ſuam illi collocarunt, vt verba loquendique formulas, quibus auctores illi vſu ſunt, vna cum toto ſermonis habitu auditoribus ſuis tum explicando, tum imitando, familiares redderent, ipſumque auctorem in ſuccum, vt aiunt, et ſanguinem diſcentium conuerterent; ſed, haec omnia parum curantes, totum quod lectioni auctorum tempus tribuendum erat, recenſendis, quas multo ſudore ex ſexcentis criticorum commentariis compilarunt, obſeruationibus terunt, mireque ſibi ipſi placent, ſi auditores in dexteritate eorum nimium confidentes in exaudiendis rarae iſtius eruditionis arcanis ore animoque attoniti ſedeant, eaque omnia tamquam ſacro ſancta Sibyllae Cumanae oracula, expeditiori calamo excepta in ſcriniis ſuis anxie deponant.

Riſum teneatis amici, ſi diligentiſſimi cuiusdam Orbilii ampliſſimum in explicando Virgilio ſtudium atque ſolertiam paucis commemorauero.

Ad praelectiones Virgilianas qualibet die Mercurii accedens vaſtiſſimum illud Cerdae volumen famuli ſui humeris impoſuit,

poſuit, eumque ad ludum praeeuntem tardiori, qui ſcilicet tanti viri grauitatem decet, gradu per forum, ingenti emtorum venditorumque multitudine repletum, ſecutus eſt: quum interea multi ex plebe eruditionem ſola librorum mole et numero metiente, litterarium eius *) Gangabam e longinquo tantum intuentes excellenti ipſum doctrina et praeclara eruditione ornatum haberent. Scholam dein ingredientem tota diſcipulorum cohors magna veneratione, Veſtae quaſi ſacra ferentem, ſalutauit, ſumma cupiditate exſpectans oracula noua cum iis praelectione communicanda. Ille vero cathedram protinus conſcendens, compoſita veſte vnum alterumue ex auctore verſum de naribus praegrandi perſpicillo, vt ita loquar, munitis ex tripode quaſi recitare, quae ipſe parum intellexerat, obſcuriori interpretatione confundere, totasque ex vaſtiſſimis Cerdae commentariis paginas ad ſcribendum paratis auditoribus non ſine magna temporis iactura dictitare conſueuit: dexterrimi praeceptoris munere praeclare ſeſe fungi autumans, ſi ſcrinia potius diſcentium ſpiſſis dictatorum voluminibus implere, quam ingenia ipſorum variae doctrinae intelligentia perpolire et erudire laboraret: et niſi me omnia fallunt, ille, ex cuius ore haec referre libuit, hoc ſimul addidit, quod parens ipſius, quem oculatum auritumque eius rei teſtem venditabat, ſemel iterumque hoc affirmauerit, fuiſſe nonnullos ex egregii illius Grammatici auditoribus, qui a patribus ſuis acceperint, priores ex libro quodam Aeneidos verſos ipſis explicatos eſſe, in cuius medio filii tunc haerebant, reliqua forte eiusdem libri explicatione nepotibus reſeruata.

Silentio praetermitto inutiles aliorum operas, quibus diſcipulos ſuos barbare potius balbutire, quam latine et loqui et ſcribere docent. Ad ipſum ſcilicet latinae linguae vſum vt maturius illos adducant, acerba et perpetua hoc in ludis illorum lege ſancitum eſt, ne quis alio, quam ſermone latino, vtatur: quo ipſo tot a nouis illis Latii colonis Latinitatis ex-

 clu-

*) Hoc nomine Perſae, teſtante Curtio, humeris onera portantes inſignire ſolebant: in re vero inuſitata quis peregrino nobis vocabulo vti vetabit?

cluduntur monſtra, vt ex ore confabulantium amplam ſatis materiam colligere liceret, ſi alterum epiſtolis obſcurorum virorum volumen concinnandum foret. Et quis quaeſo quosuis ineptae iſtius inſtitutionis naeuos, quorum infinitus ſaepe numerus eſt, commemorare audeat?

Hodiernam vero, qua prudentiores ſcholarum moderatores in erudienda iuuentute vtuntur, rationem paullo accuratius ſi examinaueris, ab antiqua illa toto eam coelo diſtare, deprehendes. Priſcis quippe temporibus quum ardua nimis et impedita via nec non multa cum moleſtia ad Latinitatis penetralia procedendum eſſet; noſtris tironibus plana omnia ſunt et facilia, adque cuiusuis ingenium maxime accommodata: ita quidem vt breuiori longe et expeditiori itinere eo iis adire contingat, quo aliis patrum noſtrorum memoria nonniſi per longas ambages, multoque ſudore perfuſis, peruenire licuit. Multa enim eaque varia latinae cum primis linguae addiſcendae compendia atque ſubſidia, quae paſſim a viris de re ſcholaſtica meritiſſimis in gratiam ſtudioſae litterarum iuuentutis in vulgus edita ſunt, ſi quis conferre atque inſignem illorum vſum accuratius ponderare velit, facile intelliget, vix aliquid deſiderandum, quod pueris noſtris procliuiorem ad Latium pandere viam poſſit.

Vtiliſſimis quippe Langii, Cellarii Hallbaueri, Hoffmanni, Weiſii, Vockerodii, Güntheri, Freyeri, Bohmii, Zopfii, Hederichii, Murelii, Caſpari, aliorumque, qui operas ſuas, quam nomina, nobis innoteſcere maluerunt, laboribus ex quo latinae linguae doctoribus vti licuit; ingenue plerique fateri non dubitarunt, quod praeclara illa ſubſidia grauiſſimum alioquin onus egregie leuauerint.

Et quid tandem de illis dicendum erit, qui vt ceteras linguas illitteratis vſitatas, ita latinam quoque ex ſolo vſu et conuerſatione diſcendam eſſe iam olim aſſerebant; quamuis numquam defuerint, qui pleno ipſis ore reclamarunt. Haec autem Latinitatem propagandi ratio cum prae ceteris omnibus multis ſe nominibus commendare cuiuis videatur; operae pretium eſſe iudicaui, vt omnia illa, quae ex vtroque parte in medium

dium produci ſolent, argumenta diligentius examinarem, meamque tandem de ea re ſententiam publice proferrem.

Totum autem hoc negotium facilius expediri non poterit, quam ſi reiectis aduerſariorum rationibus ſaniorem pro hoc inſtituto militantium opinionem ea qua decet modeſtia tueri contendam.

Triplex itaque quum ex parte aduerſa ſtantium agmen ſit, vnum quidem eorum, qui ex ſolo vſu latinam linguam ediſci poſſe prorſus negant, ſecundum eorum, qui, ſi quidem id fieri poſſet, omnem tamen illum laborem vanum et irritum eſſe perhibent, et tertium denique eorum, qui non vanos tantum et ſuperuacaneos conatus illos, ſed noxios plane, reique ſcholaſticae longe pernicioſiſſimos iudicant; triplex quoque nobis certamen ineundum erit: niſi vno profligato exercitu ab altero ſuperari velimus.

Prima hinc arma cum iis nobis conferenda ſunt, qui nullo id opere effici poſſe autumant, vt pueri noſtri ex ſola cum aliis conſuetudine latine loqui adſueſcant: parum memores, quod ceterae linguae pleraeque omnes, Gallicam puta, Italicam, Belgicam, Anglicanam, et quamuis aliam, quae diuerſis in orbe habitato gentibus vernacula eſt, vix alio modo tenerrimae cuiuis aetati familiares fiant.

Rationes, quibus hoc probare laborant, duplicis generis ſunt: dum vel ad notiora quaedam illorum, qui fruſtra hoc tentauerint, exempla prouocant; vel de ſummis, quibus inſtitutum hoc adſtrictum eſſe contendunt, difficultatibus tanto fallaciarum apparatu diſſerunt, vt vel Herculei humeri tanto ferendo oneri vix ſufficere videantur.

In exemplis, quae hoc fine citari ſolent, vnum inſtar omnium eſſe volunt, potentiſſimi ſcilicet Galliarum Regis Ludouici XIIII conatum, cui, teſte doctiſſimo Morhofio, auctor quidam haud inepte ſuaſiſſe fertur, vt eiusmodi ciuitatem latinam conderet, qua ſola conuerſatione linguam eruditis vernaculam pueri doceantur: ſed nusquam legi dicunt, quot tantus rex, quem nulla alias vel ſumtuum vel difficultatum magnitudo a propoſito ſuo reuocare potuit, quiue ſexcentas vrbes

bes alias vel primus exſtruxerit, vel magnificentia ſua illuſtrauerit, variisque acceſsionibus muniuerit, cuiusque moliminibus vix vnum ſufficere orbem nonnulli credebant, vel minimo conſtituendo vico latino ſuffecerit. Sed ſatis temere hoc effutire mihi videntur, quod numquam probabunt, Regem illum Muſis et liberalibus artibus ceteroqui fauentisſimum, maximaque illas liberalitate fouentem vmquam in animum induxiſſe, vt vel minimum eius rei experimentum caperet, quamuis luculentis ad id periclitandum exemplis incitaretur.

Ponamus etiam, adeo facile fieri non poſſe, vt integra ciuitas latina exſtruatur; ex hoc tamen inepte profecto colligitur, intra priuatos ſaltim parietes id effici non poſſe, vt pueri crebriores cum praeceptoribus, parentibus, aliisque latine doctis confabulationes inſtituendo ipſi tandem latine loquantur.

Sique porro exemplis pugnandum eſt, non vnum, ſed quamplurima in promtu ſunt, iis oppoſita, quibus hoc non tantum fieri poſſe, ſed ſaepius iam factum eſſe, immo adhuc fieri, ipſo opere comprobabitur.

Hoc autem dum firmius adſtruere animus eſt, non illud citabo exemplum, quod iam ſuperiori ſaeculo Regi, quem modo laudaui, Pariſiis propoſitum eſt, quodue, licet omnem fidem ſuperare videretur, multis tamen teſtibus confirmatum de rei veritate dubitare nos vlterius vetat: quum ſcilicet infans quatuor annorum in conſpectum regis productus adeo expedite linguam latinam loqueretur, vt tamquam res numquam ante haec tempora vel viſa vel audita prodigii loco omnibus haberetur. Nec ad cetera prouocabo experimenta, quae Robertus Albericus Gentilis, Tanaquil Faber, aliique in filiis ſuis feliciſſimo conatu cepiſſe feruntur: de quibus idem Morhofius pluribus conferri meretur. Nec illa in medium proferam, quae Montanus, vir apud Gallos celebratiſſimus in diſſertationibus ab ipſo gallica lingua conſcriptis, de ſe ipſo fatetur: immo ne veterum quidem Romanorum iuuenes ſuos ad Graecos, vt illorum linguam addiſcerent, mittentium exempla altius hic repetere animus eſt: quum hac noſtra aetate

non

non deſint luculenta ſatis talium adoleſcentium exempla, quos latinam linguam, remotis omnibus praeceptis grammaticis ex ſola conuerſatione cum latine loquentibus didiciſſe, conſtat. Sic celeberrimi apud Goettingenſes GESNERI filium, annum aetatis ſuae ſextum vix egreſſum, commode admodum hac lingua vſum, variis mihi teſtimoniis comprobatum eſt: ita quidem, vt non ipſe tantum nullum vel in flectendis vel in coniugendis vocibus errorem facile committeret, ſed quosdam patrem, qui tunc temporis in illuſtri Gymnaſio Vinarienſi Conrectoris munere fungebatur, forte conuenientes, deque induſtria illo audiente ſoloecizantes continuo corrigeret. Pari ſucceſſu in hac vrbe noſtra idem imitantur optimae quidam ſpei adoleſcentes, quorum alter Virum Excellentiſſimum, Conſultiſſimumque, IOH. IACOBVM WITSCHIVM, Conſiliarium Sereniſſimi Patris patriae Aulicum, longe meritiſſimum, parentem veneratur, reliqui vero ex Viro Nobiliſſimo Clariſſimoque CHRISTIANO EBERHARDO BOLLMIO, quem Ducatus noſtri ſaltibus eorumque rationibus praefectum eſſe nouimus, geniti ſunt. Etenim indulgentiſſimi hi duo in filios ſuos parentes, vt in multis aliis, ita in eo egregie omnino conſpirant, quod nihil eorum omittant, quae ad augendos ex ſe natorum profectus facere quouis modo poſſunt: cuius rei hoc ſpeciminis loco aſſeruiſſe ſufficiat, quod ad addiſcendam linguam latinam facillimam iis expeditiſſimamque viam patefecerint, qua ſub manuductione praeceptoris dexterrimi doctiſſimique, SAMVELIS BEERII, ſanctioris ſcientiae Candidati digniſſimi, per ſolam cum ipſo aliisque latine doctis conſuetudinem linguam illam trium vix annorum ſpatio adeo ſibi familiarem reddiderunt, vt non tantum ſine vlla haeſitatione omnia loquantur, ſed ex optimis quoque auctoribus Claſſicis integra capita, numquam iis praelecta ex tempore et facili negotio in vernaculam transferre queant: immo, quod de Archia ſuo Poeta ſummus eloquentiae Magiſter, Cicero, in Oratione pro ipſo habita in laudibus eius commemorari conſultum iudicauit, rem vel factum vernacula ipſis expoſitum ſermone latino continuo reddant, et aliquoties reuocati eadem

com-

commutatis verbis atque ſententiis dicant. Quis igitur id fieri poſſe negare perſeueret, quod iam olim factum eſſe et adhuc fieri, tot tantisque teſtimoniis confirmari intelligit?

Ad difficultatem porro quod attinet, quam tanto illi opere vrgere ſolent, eam nemo vmquam negauit; ſed non tanta eſt, quantam illi praetexunt: et probe notandum eſt, num in ipſo inſtituendi modo, an potius ex parte illorum, qui docentium munere funguntur, quaerenda ſit.

Fatemur, magnum ad hoc requiri Latinitatis apparatum; concedimus, perexiguum eſſe eorum numerum, qui ita caſte et expedite latine loquuntur, vt praeeuntes ipſos alii ſequi ſecure poſſint; nec hoc inficias ire licet, multa nobis hodie occurrere, quae quum Romanis minus nota fuerint, latinis exprimi verbis non ſatis commode poſſunt. Sed tolerabilis omnis iſte labor eſt, et facilius longe ferendus, quam ſeruile illud iugum, ſub quo multi, immo plerique per aliquot decennia ſudare olim cogebantur.

Minime nobis animus eſt, verboſius iam docere, qua ratione, quibusue adminiculis is, quem iam tuemur, latinum ſermonem propagandi modus exerceri poſſit; quum peculiari id diſſertationi reſeruamus. Sed operae tamen pretium erit, hic breuiſſimis tantum et e longinquo quaſi oſtendere, qua via quibusue ſubſidiis Herculeus iſte labor (talis inexperto cuiuis videtur) ſuperari poſſit.

Verborum copia loquendique formulae non ex Vocabulario et collectione aliqua phraſeologica, ne optimis quidem, nedum ex vulgaribus mille ſcatentibus barbarismis totidemque ſoloecismis petendae, ſed ex perpetua cum latine loquentibus confabulatione, diligentiorique optimorum auctorum lectione proxime hauriendae ſunt. Sique nonnulla forte occurrant, quae veteres Romani ignorarunt, quorumue nomina latina in ſcriptis eorum fruſtra quaeſiueris; nihil obſtabit, quo minus res nouas nouis induere nominibus liceat: conniuentibus

bus, immo id ipſum iubentibus Horatio, Cicerone, Quintiliano multisque aliis ſtili Romani Dictatoribus.

Secum autem colloquentes vt tirones noſtri non modo mature intelligant, ſed ipſi ſerere cum aliis colloquia tempeſtiue poſſint; ex optimis Dialogorum ſcriptoribus, Terentio, Plauto, Heluico, Pontano, Langio, Eraſmo, Caſtellione, aliisque ſermones et loquendi formulae vſitatiores excerpere et quotidiana illa repetitione tenerae illi aetati ludendo quaſi imprimere multum certe iuuabit: quod reliquum forte difficultatis erit, quam maxime leuabitur, ſi res, de quibus ſermo habendus eſt, puerorum ludicris ſubinde immiſceantur, variaque curioſa et arte facta inopinantium oculis ſaepe ſubiiciantur, iique eo ipſo ad loquendum ne ſentientes quidem inuitentur. Immo, ſi praeter illos, quorum conſuetudine domi ſuae quotidie vtuntur, alii quoque arceſſantur, quos latini ſermonis non ignaros eſſe nouimus, vt cum filiis noſtris eadem lingua colloquantur.

Ad auctores claſſicos quod attinet, quos ad aſſiduam illis lectionem commendandos cenſemus, non omnes, nec totos, ab iis legendos putamus. Faſtidio hoc pueritiae eſſe ſolet, ſi vniuerſa optimi cuiusque auctoris opera ad augendam Latinitatem proponantur. Varietatis amantes ſunt iuueniles animi, nilque magis iis moleſtum eſt, quam ſi eidem labori diutius inhaerere cogantur. Taceo, quod plerique ex ſcriptoribus illis, quos ob cultioris ſtili apparatum claſſicos vocare adeoque prae aliis iuuentuti ſcholaſticae commendare ſolent praeceptores, eo quod non niſi bella et ſingularia prorſus antiquiſſimarum gentium fata nobis commemorare ſoleant, viris prudentia docendi conſpicuis ad ea, in quibus maximus eorum vſus eſſe deberet, non ſatis commodi videantur. Selecta igitur ex iisdem tantum fragmenta et exempla illuſtriora, quae ſimul iucunditate quadam ſeſe commendent, vna cum ſuauiſſimis Aeſopi vel Phædri fabellis in vnum quaſi faſciculum cogenda ſunt, vt rerum et varietate et iucunditate imbecilles illi

et

et ad remiſſionem maxime proni diſcentium animi denuo ſemper excitentur et reficiantur.

Quod vero omnium primum eſſe volumus, quodque primo a nobis loco monendum fuiſſet, hoc eſt, vt in conducendis aptioribus ad ea omnia moderanda ducibus et praeceptoribus, a quorum ore atque amplexibus pueri noſtri pendeant haereantque, nulli neque ſumtui neque labori parcamus: certiſſime confiſi, quascumque impenſas atque operas poſt breuiſſimum temporis ſpatium largiſſimis diſcentium profectibus iri compenſatum: quandoquidem nullus dubito, quin hoc ſpondeam atque in me recipiam, vel per trimeſtre ſpatium his adhibitis ſubſidiis in latini ſermonis cognitione iuuenes mediocriter tantum ad ſequendum aptos longius proceſſuros, quam multi alii per aliquot annorum ſpatium ſub infinitis Orbiliorum ſuorum minis et plagis vix progredi queant.

Non vanis illa, quae dicuntur, otioſorum quorumdam naſutulorum ſomniis et perſuaſionibus ſuperſtructa, ſed variis experimentis roborata ſunt.

Pergimus ad alterum aduerſariorum agmen, qui, cum grauiſſimis, quae pro noſtra ſententia militare audiunt, argumentis conuicti, de rei ipſius veritate moderatius quidem ſentiunt, hoc etiam facile nobis largiuntur, quod quam alii praetendant, negotii difficultas iuſto nimium exaggeretur; nulli tamen dubitant, quo minus vanum et irritum omnem illorum laborem appellitent, qui eam, quam tanto hactenus opere commendauimus, latinam linguam diſcendi rationem vſitatioribus aliorum praeceptis praeferre laborant.

At cui bono, inquiunt, tantum ab adoleſcentulis noſtris in latino ſermone habitum requiramus, vt in ipſo Latio nati videantur: quum plerisque eorum per totam vitam vix vnica offeratur occaſio, qua ſolius latinae linguae vſus inter familiares obtineat. Cur memoriae aliquid mandandi facultate, quamuis excellentiſſima illa ſit et plane diuina, eo vsque in tene-

tenera illa aetate abutamur, vt, cum ducentis forte vocabulis, quorum ſignificatus ignorari nequit, mille aliis pueros noſtros obruamus, quibus viri etiam doctiſſimi praeter omnem vel famae vel eruditionis iacturam carere facile poſſunt. Et quamuis diffiteri nequeant, quod Medicis praeſertim et Iurisconſultis tum in elaborandis conſiliis ſuis atque reſponſis, tum in confabulationibus ſuis eruditis in cathedra quoque publica inſtituendis, multa ſaepius tum ad rem familiarem, tum ad alia minus nobis vſitata pertinentia ſeſe offerant, quae ſi inter eruditos eruditis veſtire nominibus neſciant, illos non citra omne taedium haeſitare iubeant: minime tamen hoc illos ſolicitos habet, quod ſaluo ad Lexicographorum indices recurſu ignorantiam ſuam tegant, ſibique falſo perſuadeant, parum referre, ſi in rebus a quotidiano vſu remotis aliquantum allucinentur. Quid multis? ſatis abunde hoc ſufficere plerisque autumant, ſi quae legunt intelligant, quaeque eloqui nequeant de iis modeſte ſileant: vbi maximum ſimul exinde ſolatium capiunt, quod non tantum doctores Academiarum publici in praelectionibus ſuis vernacula vtantur, ſed quod omnes omnino ſcientiae eadem lingua conſignatae in vulgus edi hodie ſoleant.

Sed egregie illi omnes falluntur, ſi friuolis hisce conſiſi, diuerticulis ea contemnere perſeuerent, quae tantillo et temporis et operae dispendio diſcuntur, ſique ignorantur, totum nonnumquam orationis flumen conturbant.

Lingua Latina optimum a nonnullis ſcientiarum vehiculum, quin immo propria viris eruditis vernacula longiſſimis abhinc temporibus habita eſt, nec immerito: ita quidem, vt nomen eruditi quamplurimis vix mereri videatur, qui illam non adprime calleat. Et quid tandem impedit, ſi quis plus in ea profecerit, quam ipſi forte fuerit neceſſe. Prudenter omnino illi agere, ſi non omnibus, ſanioribus ſaltim, videantur, qui in quauis arte non de ſumme tantum neceſſariis ſoliciti ſunt, ſed omnia illa maxima animi contentione colligere

et conquirere geſtiunt, quae vllo modo ſibi profutura cenſeant. Nec eum in finem Lexica nobis reliquerunt veteres, vt tum demum iis vtamur, ſi inter loquendum vel ſcribendum vocabula et phraſes nos deficiant; ſed ea potius mente conſcripta ſunt, vt neceſſarium eloquentiae apparatum ad futuros vſus ex iisdem mature depromamus. Si vero illi, qui in Academiis docentium munere funguntur in gratiam imperitiorum, quorum maximus plerumque numerus eſſe ſolet, lingua vulgo notiore loquantur; pudeat omnes illos, qui ſupra vulgus ſapere cupiunt, ſi turpiſſima illa ignorantiae aſyla ſibi ideo patere iudicent, vt ſcientes et volentes ea, quae ſciri iure deberent, neſcire pergant. Cur itaque hiemali tempore duplici corpora ſua veſtitu pellibusque ferinis a frigore tuentur, cum ea, quibus alias vtuntur, veſtimenta in illa quoque caeli commutatione aegre ſufficiant.

Supereſt tertia diuerſa a nobis ſentientium acies, *illorum* ſcilicet, qui multo hosce conatus coniunctum eſſe damno confidenter omnino et magno argumentorum apparatu contendunt. Sed tantum abeſt, vt vel minimam ea mereantur attentionem, vt potius inepta illa omnia et plane ridicula eſſe affirmem.

Primo quidem perſuadere nobis annituntur, quod qui ex ſolo vſu latine loqui diſcunt, corrupte plerumque et minus accurate loquantur: cum incorrupta latini ſermonis integritas iis, qui ſecundum Grammaticorum praecepta erudiuntur, longe commodius tradi poſſit. Ad nonnullas deinde Italorum ſententias prouocant, qui ſermonibus latinis, etiam cum viris doctiſſimis plane abſtinendum iudicarunt: ne dictio aliquid ex vernaculae linguae genio trahat, quem viri eruditione clariſſimi in colloquiis ſuis vix euitant, quum eleganter alias ſcribant. Fruſtra porro verentur, ne compendiaria haec et expeditior ad latinitatem via funeſtiſſimam ſcholarum publicarum perniciem ſecum coniunctam habeat: quandoquidem ſummus et fere vnicus earum labor in hoc verſatur, vt pubes ſcho-

ſcholaſtica in linguis erudiatur. Tandem addunt, maiorem temporis partem in prima illa aetate ſterilem fore atque otioſam, ſi omnem docentes operam in eo tantum collocare velint, vt cum diſcipulis ſuis quauis alia neglecta inſtitutione perpetuo confabulentur.

Verum enim vero quis quaeſo! egregiis hisce hominum parum conſiderate loquentium nugis ſubſcribet, niſi et ipſe cum ratione inſanire cupiat?

Credo adoleſcentes noſtros male, immo peſſime, locuturos, ſi illi, quorum conuerſatione vtuntur, ipſi minus accurate loquantur: coecus enim ſi coecum viae ducem ſequatur, fieri non poteſt quin vterque ſaepenumero caput offendat, ſique infantem ab ipſius incunabulis cum balbutiente coniunxeris, balbutire potius quam recte loqui diſcet. Sed quis quaeſo ex iis, quae hactenus dicta ſunt, hoc eliciet, perinde nobis eſſe, cuicumque itineris duci tirones noſtri credantur; quum id potius nobis velimus, illorum tantum lateribus hos iungendos eſſe, qui non expedite ſolum, ſed pure quoque et caſte loquantur.

Ceterum, ſi de barbare loquendi habitu ſermo eſt, ego quidem ferme crediderim, nusquam Latinitatem, culinam redolentem, magis exaudiri, quam in ipſis ſcholis publicis, quas purioris Latinitatis officinas omnes putauerint: id quod peruerſo partim docendi modo, partim nimiae docentium vel negligentiae vel ignorantiae tribuendum eſt. Equidem, vix a riſu mihi temperare poſſum, in animum meum ſi reuoco, quanta fiducia paſſim illuſtriorum ſcholarum alumnos illatiniſſime (ſit venia verbo) loqui audiuerim. Illi enim ab indulgentiſſimis ſuis praeceptoribus aureum illud dictum, *numquam male numquam bene*, ſatis opportune edocti, nulli ſane religioni ſibi ducunt, ſi quarumlibet plagarum patientiſſimum Priſcianum barbariſmorum ſoloecismorumque fuſtibus ma-

le contundant: parum abeſt, quin diriſſimo ſupplicio excruciatum prorſus enecent.

Non abſonum erit nonnullos infelicium illorum Ciceronis imitatorum repetere floſculos, qui, quod non ſemper nec vbiuis occurrant, diligentiorum aduerſariis inſeri merentur. In claſſe Gymnaſii cuiusdam illuſtrioris infima, qua prima vix litterarum elementa didicerunt diſcipuli, egregie partes ſuas ludi illius magiſter ſibi tueri viſus eſt, ſi ſchola ipſius non niſi latino ſermone reſonaret. Omnem igitur nauauit operam, vt vernaculam penitus exterminaret, ne nominibus quidem diſcipulorum propriis, quibus euocandi erant, parcens, ſed prodigioſe ſaepius illa immutans. Hinc non tantum ea diſcipulorum cognomina, quae, quum perſonis ſint propria, apud Germanos tamen in appellatiuis referri ſoleant, e ludo ſuo proſcripſit, proque iis nomina latina ſubſtituit, ſed et alia, quae adiecta ſola terminatione latina Romae nata videri potuiſſent, ſatis nonnumquam lepide prorſus immutauit. Sic qui Beckeri, Fleiſcheri, Schneideri, Schmidii, Schuſteri, Küſteri forte nomen gerebant, eos Piſtores, Laniones, Sartores, Fabros, Sutores, atque Aedituos compellare conſueuit: quiue a parentibus ſuis *Caluis* appellabatur, eum *Caluipedem* (quaſi Kahlfuß) quam *Caluiſium* appellare maluit; vti a Lobſteiniorum, Spangenbergiorum, Weidemannorumque nominibus ita abhorruit, vt potius *Laudipetram*, *Montiſibulum*, *Aruiuirumque* ſubſtituendum putaret. Ad ipſas loquendi formulas, in iisque magis ſolemnes, quas ipſum praeceptorem latinis ſuis pſittacis ſyllabatim primo dictaſſe cenſeo, quod attinet, illas adeo corrupte ſaepius retulerunt diſcipuli, vt vel ſummos Criticorum patres nulla coniectura aſſecuturos autumem, quinam verbis illis fuerit ſenſus. Conſtituti ſcilicet horarum monitores, qui circa cuiusuis horae finem ante fores ludi excubias agebant, vt ſignum, campana dandum, eo diſtinctius audirent, ſimul ac hora ab iis audita erat, magno impetu in ſcholam penetrarunt, plenis, vt aiunt, buccis vociferantes, *vertatur clepſydra hieroſolymis*; *hora ſonuit* pro *hieroſolymis*

mis dicendum erat. Simili ratione alii, quibus forte littera canina pronunciatu difficilior erat, quiue pro *claude latrinam* (hoc enim a praeceptore ſuo, curam agente, ne locus ille ceſſantibus lectionibus ab illatinis profanaretur, quotidie audiuerant) *claude latinam* dicere coeperunt, nouae tandem eique ſolemniori loquendi formulae anſam praebuere, qua ceteri omnes iuſſa praeceptoris aliis rurſus committentes *clade* tandem *latina* vſu ſunt. Talia autem ſi praeſente et audiente ipſo latinae linguae magiſtro impune dicuntur, nemo certe mirabitur, ſi inter pueros illos colludentes phraſes aliae longe corruptiores audiantur: quales ſunt, quot *treſſaſti conos? noli fuslere, quis poſt me venit? ego ex faciam ludum, egò hoc non ſum ad pacem, ille mihi omnem pecuniam ablucratus* eſt; et ſimilia.

Intempeſtiua porro quorumdam Italorum cautio, qua pura latinitate imbuendos minus accurate loquentium, quamuis alias in doctiſſimorum numero habeantur, conſortia vitare volunt, minime nos mouet, quod idem fere cum illis ſentiamus, minime ferentes, ſi non optima, quantum quidem id fieri poteſt ad imitandum exempla tironibus noſtris praeponantur. Per viros vero eruditos ſi illos quoque intellexerint, qui praeclara ſua eruditione maiorem in orbe litterario famam conſecuti ſunt, quiue ipſi forte in ſcholis ſuperioribus docentium munere funguntur, adeoque ſatis quidem caſte et pure ſcribunt, loquentes vero plus nimium linguae ſuae indulgent; ab iis nihil verendum putamus tenerae illi aetati, quae non niſi rariſſime cum tantis viris colloquetur: et ſi forte acciderit, parum hoc iis nocere poterit: certe non magis hoc ipſis officiet, quam ſi filioli noſtri, qui vernaculam a parentibus ſuis recte loqui didicerunt, extraneum ſubinde audiant, cuius pronuntiandi rationem quidem mirantur, ſed nequaquam imitantur.

Maiorem attentionem illi merentur, qui nouum hoc inſtitutum certiſſimam ſcholis perniciem afferre dicunt, ſi quidem ex vero illi haec aeſtimare ſcirent. Sed multum omnino

 abeſt,

abeſt, vt tantum, quod nobis praedicunt ſcholarum exitium, inde pertimeſcamus; omni potius adſeueratione hoc affirmamus, nihil magis optandum eſſe, quam vt in ipſis ſcholis hic, quem tantopere commendamus, latine loquendi vſus magis magisque inualeſcat: ne totum illud tempus, quod ſtudiis ſcholaſticis dicatum eſt, ſola addiſcenda lingua latina filii noſtri conſumant, ſed citius ad ipſas pergere diſciplinas iisdem liceat. Sed probe intelligo, quid fideliſſimos illos ſcholarum rectores (corruptores ferme dixerim) plerumque mordeat. Turpi inertia capti id modo agunt, vt, quod ipſis ferendum eſſet, onus infirmis tironum humeris imponant. Hinc totas non dicam horas, ſed integros adeo menſes, immo annos nudis eorum recitationibus tribuunt, quae miſerandi ſane iuuenes ad ergaſtula illa condemnati memoriae ſuae mandare iuſſi ſunt. Quumque ipſi parum multa ſaepe intelligant, non poſſunt non moleſte ferre, ſi ſaniora alii ſuadeant, viamque magis expeditam commonſtrent: eo quod hoc facile odorantur, noua illa latina docendi ratione maius ſibi onus impoſitum iri, quam quod ſuſtinere vel velint vel poſſint. Hoc tamen, quod verentur, cum quauis ratione diſſimulandum cenſent, ad lepidiſſima ſartorum ſutorumque exempla, quaſi ad ſacram ancoram confugiunt: palam profitentes, ſtulte illos agere, qui tironibus ſuis quaeuis artis ſuae arcana atque compendia adeo ſimpliciter et candide aperiant: contra ea longe melius illos ſibi proſpicere autumant, qui eadem, qua ipſi ab artis vel opificii ſui magiſtris decepti ſunt, fraudulentia alios rurſus decipere perſeuerant, vel athletarum more ſumma artis palaeſtricae arcana et ſtratagemata alios celant ſibique ſolis ſeruant.

Tandem ridiculi omnino nobis videntur, qui otium et deſidiam id adoleſcentibus adferre perhibent, ſi remotis Grammaticorum praeceptis ex ſola cum aliis conuerſatione latine loqui diſcant, totumque illud tempus, quod in ſtadio ſcholaſtico variis ſtili exercitationibus traduci ſolet, meris confabulationibus terant. Hi vero quam exiguum totius inſtituti ſen-

ſenſum habeant, vel ex hoc apparet, quod nihil agere tirones noſtros ſibi perſuadent, dum plus ſaepe vnius horae ſpatio proficiant, longiusque breuiori illa via procedant, quam miſerae paſſim iuuentuti ſcholaſticae, notiſſimis illis ambagibus et circuitionibus fatigandae, per integros menſes progredi licet. Et quaenam denique cauſſa iuuenes noſtros otioſos eſſe iubeat, quum tot ſint auctores hiſtorici pariter atque oratores, poetae item et philoſophi, quorum diligentiori lectione vberrimo cum fructu occupari et poſſunt et debent. Taceo, quod ſtudium hiſtoricum, Geographicum, primaque tum Matheſeos tum Philoſophiae elementa cum aliis ſcientiis a pueritia illa ſatis commode, immo longe facilius addiſci poſſunt, quam ipſa Grammaticorum praecepta, quae aeque difficilia et abstruſa eſſe deprehendimus, quam vlla alia ex ceteris ſcientiis atque diſciplinis. Sed quid plura proferre audeam, quum ſurdis maximam partem narrari fabulam ſciamus.

Haec autem quum ita ſint, vehementer primo gratulamur iuuentuti noſtrae ſcholaſticae, quae, priſca illa et immunitate quaſi donata alios decipiendi licentia licet non vbique plane ſit immunis et libera, longe tamen commodiore via ad Muſarum ſacra traducitur, quam ipſis, quibus illi ducibus vtuntur, ad ea penetrare licuit: vbi vero hoc ſimul dolendum eſt, quod quo magis aperta et trita pueritiae noſtrae ad humaniores litteras via commonſtretur, eo ſegnius atque cunctantius ea progrediatur, praeceptorumque ſuorum facilitate tam immodice et inſolenter abutatur, vt grauiſſimo, quod diſcipulorum antehac humeris imponebatur onere maximam partem releuata ſit, iam ne digito quidem illud attingere velit. Sed omnibus illis optandum eſſet, vt antiquis illis ergaſtulis aliquantiſper incluſi, quantum liberalis inſtituendi ratio a priſco illo, eoque duriſſimo ſeruitutis iugo differat, proprio ſenſu guſtarent. Deinde vti bona multa falſa ſaepe noxiorum ſpecie inuidioſa redduntur, quaeque facili negotio effici poſſent, ab iis, qui iniuſtum eorum cepere taedium, inter ἀδύνατα referri ſolent; ita ex iis, quae hactenus relata ſunt,

ſatis abunde, vti ſpero, apparet, minus vſitatum illum latinam linguam diſcendi modum non alia ratione multis eſſe inuiſum, quam quod eorum torpori atque ſocordiae funeſta eſſe videtur: quum facile ominentur, plus operae atque laboris ſibi ſumendum eſſe, ſi miſſa multiformi, qua tenera puerorum ingenia fatigare conſueuerant, ambage proximam planamque cum iis viam procedere cogantur.

Denique, quum in controuerſiam vocari nequeat, facili id negotio fieri poſſe, vt filii noſtri a prima ſtatim pueritia ex quotidiana cum parentibus et praeceptoribus, accurata latinae linguae facultate pollentibus conſuetudine ipſi latine loqui diſcant; nil ſane, me quidem iudice, impedit, quo minus etiam ſexui feminino eodem quo diximus modo lingua illa vernacula fieri poſſit: quo facto, contractis dein inter latine loquentes matrimoniis integrae familiae, ex his autem maiores tandem ſocietates latinae exſtrui poſſent, quibus omnes etiam opifices latine loquantur. Hoc vero in tanta temporis noſtri acerbitate, qua ditiores et potentiores facultates ſuas in ludicra potius et voluptuaria, quam ad commoda publica, in maius, meliusque promouenda, impendere conſueſcunt, an vmquam ſperandum ſit, idem eſt, de quo ego quidem ſummopere dubito. Interim hoc demonſtraſſe ſufficiat, quod in exſequendo toto illo negotio nil magis deſideretur, quam liberalis et conſtans ſummorum virorum voluntas.

II.

IO. MICHAELIS HEVSINGERI

GYMNASII ISEN. DIRECTORIS

DISSERTATIO

DE

PERVVLGATIORIBVS

ALIQVOT

ERRORIBVS GRAMMATICIS.

I.

ETSI non minus mihi, quam aliis, illud cenſorum atque adnotatorum genus inuiſum eſt, qui bonorum et doctorum virorum ſcripta paedagogica quaſi ſeueritate ad leges exigunt grammaticas, et ſtigmata inurunt omnibus, quae vel minimum a priſca dicendi et ſcribendi norma abhorrent: eorum tamen me ſectam ſequi, non diffiteor, qui puri emendatique ſermonis curam probandam, et omnibus, qui litteras amant, honeſtam exiſtimant ac neceſſariam. Nam vt ferri video, qui res cognitione dignas, hominumque vitae ſalubres, minus compoſite apteque tradunt: ita cupidiſſime etiam audiri, legi et laudari ab omnibus animaduerto, qui ea, quae ſunt vera et recta, verbis etiam incorruptis, propriis et elegantibus exponunt. Quare nemo mihi vitio dabit, ſpero, quod ſermonis Romani vitia, non in ſcholaſtica tantum vmbra, ſed in publica etiam celeberrimae academiae luce, caſtigare audeo, et, dum ad hunc emaculandum, et a ſordibus, quas longo aeuo contraxit, repurgandum, aliquid opis conferre iubeor, ab iis potiſſimum notandis initium facio, quorum, traditam quamuis a maioribus, hereditatem turpe nobis eſſet ad poſteros transmittere. Nulla me animi vanitate aut maleuolentia in hoc conſilium deductum fuiſſe, alios etiam intellecturos confido, ſi et ea, quae dicam, ad diſcentium vtilitatem referam, et de nullius merita fama detraham, qui cum aliis forte pluribus errauit. Hac lege ea, quae mihi ſunt propoſita, exſequar, dicturusque de peruulgatioribus aliquot grammaticorum erroribus, illos primum perſequar, quos in vocum pronuntiatione obſeruaſſe mihi videor: deinde paucos etiam pro inſtituti ratione attingam, qui a vera vocabulorum flexione, ſignificatione et conſtructione longius deflectunt.

II.

Non minori latinarum litterarum incommodo, quam dedecore, in tanta librorum multitudine, neceſſario maxime vocabulorum indice deſtituuntur adoleſcentes noſtri, quo in noſcendis ſingulorum accentibus, et ſyllabarum quantitatibus, eui-

euitandisque tralaticiae, quae in ſcholis dominatur, pronuntiationis vitiis, poſſint adiuuari. Smetii certe proſodia, quae ſola fere in manibus eſt, (nam Borrichianam, aut aliam melioris notae, quotus quisque videt?) et tironum vſibus accommodatiſſima eſſe creditur, non magnas tantum acceſſiones, ſed et intentiorem docti alicuius viri limam exſpectat, eaque perpolita niſi fuerit, tutum ab errore neminem poteſt praeſtare. Magnus in ea et propriorum, quae in vſu verſantur, et appellatiuorum nominum, verborum ac particularum numerus deſideratur: quod facile patebit perfunctorie illam cum Riccioli indice, quem proſodiae ſuae reformatae ſubtexuit, contendenti. Ad probandas vocabulorum, quae adſcripta ſunt, quantitates, nec idoneae ſemper, nec certae ſatis auctoritates aduocantur, et ex triuialium exemplarium corrupta ſaepe lectione, quae breuis, quae longa ſyllaba, ſtatuitur. Tolerabilius tamen hoc eſſet, ſi ſcriptorum loca, quorum teſtimonia citantur, expreſſis librorum ac verſuum numeris, indicarentur, et ita meliores codices de ſuſpectis lectionibus conſulturis inquirendi labor minueretur. Tantum vero abeſt, vt hoc ſibi negotii ſumſerint, qui poſt Smetii fata eundem librum crebris editionibus renouarunt, vt deteriorem etiam, quam Smetius reliquerat, ſaepius recudendo effecerint. Satis enim negligenter, ac mala ſaepe fide recognitum, aliquanto poſt interpolare etiam auſus eſt, neſcio quis, qui Graecos verſus, quibus in ſubſidium doctisſimus aliquando vſus fuerat auctor, expunxit, et in horum locum Latinos, non probatorum poëtarum, ſed ſuos, id eſt, μιξοβαρβάρους, ac ſaepe ineptiſſimos, ſubſtituit, quibus non vera et antiqua pronuntiandi ratio propagatur, ſed Scythica plane ac Sarmatica inducitur, et quaſi auctoritate aliqua confirmatur. Idem factum, quoties earum, quibus veteres poëtas vſos fuiſſe non conſtabat, vocum accentum ex analogia cognoſci voluerat Smetius, vocesque alias cognatas, pro verſibus, adſcripſerat: quas lacunas Meuius iſte expleturus, ſuorum partuum monſtra plurima inculcauit, Latinis auribus nec audita vnquam, nec ferenda. Ea quae ſint, protinus ex adpoſito Anonymi nomine noſcas.

III.

III.

Plurima ſunt, in quibus improbe imperiteque hic interpolator Smetii manum mutauit: ſed ex his pauca, ſatis erit, exempli loco poni.

ACETABVLVM Smetius antepenultima longa pronuntiari recte docuerat: Anonymus, qui ſpuriae, quam dixi, editioni praefuit, antepenultima breui.

ADVLESCENS ſecunda longa, *adoleſcens* ſecunda breui, Smetius: Anonymus *adoleſcens*, et longa et breui ſecunda, ſcribit.

ALLEVO poſuerat Smetius, errore vero typographico id in *alleuio* mutatum fuerat: Anonymus huic flagitio patronus etiam exſtitit, verſumque, quo illud tutum eſſet, e ſuo ſterquilinio protulit,

Alleuiare poteſt Deus omnia, quidquid agatur.

Sed in hunc iure illud poëtae accommodaueris,

Cauſa patrocinio non bona peior erit.

ANNOTINVS, penultima breui, Smetius; penultima longa, Anonymus, inuitis omnibus aliis grammaticis.

APAGE, vltima breui, probauerat, vt par erat, Smetius, quia Graecum eſt ἄπαγε: Anonymus, cui aduerbium videbatur, ab adiectiuo fortaſſe aliquo, in VS deſinente, deriuatum, vltimam produxit.

APSIS penultimam genitiui *apſidis* producere, docuerat Smetius, exigentibus id Graecorum poëtarum verſibus, quos non omiſerat: Anonymus, ſua ipſius auctoritate, id eſt, nulla, corripit, eos, vt ſuſpicor, ſecutus, qui *paropſis*, cuius genitiuus penultimam breuem habet, *parópſidos*, ab *apſis* ducunt, repugnante quamuis analogia. Vid. Voſſ. etymol. p. 2. et 372.

ARCHIATER, recte Smetius, penultima longa; Anonymus vero, cum inficeto vulgo, penultima breui.

BIGATVS Smetio primam producit; indoctis, et Anonymo corripit, quamuis ſit contractum ex *biiugatus*. An ergo et *quadrigae* penultimam corripit, cuius eadem ratio?

CAECVTIO antepenultimam longam habet, ſi Smetio, vt par eſt, credis; breuem, ſi Anonymo. CA-

CARIDES penultima longa, ex Smetii veriſſimo praecepto; penultima breui, ex Anonymi opinione, pronuntiatur.

CVCVLVS, producta ſemper longa, probauerat Smetius, vt veteres: Anonymus, poſthabito etiam verſus Plautini metro, penultimam ſemper corripit. Sed plus valet Plauti et Horatii auctoritas, quam Anonymi, ſpuriique Martialis et Philometae, quae Ouidio tribuitur, verſus.

CYCLAMINVS in penultima acutum habet, idque et Smetius obſeruauit: Anonymus hunc in antepenultimam transfert, disſentientibus quamuis poëtis Graecis, quos Borrichius in lingua pharmacopoeorum nominat.

DEPECVLOR, penultima longa, iure placet Smetio, non item Anonymo.

PEPO, *peponis*, ſequitur Graecam pronuntiationem, qua eſt πέπονος: Anonymus autem, in voce *melo*, quaſi Graece ſcriberetur πέπωνος, penultimam produxit.

Eamdem inſcitiam prodidit in *apicula Ariminum*, *moletrina*, (cuius antepenultimam produxit, quia non *moletrina*, ſed *molatrina* ſcripſit, non a *molere*, ſed a *molare*) in *multiſcius*, *Nicander*, *os*, *oſſis*, *narciſſinus*, *Olyſippo*, et aliis multo pluribus. Longum enim eſſet, enumerare ſingula. Hoc vnum praeterire non poſſum, quod vnum inſtar omnium eſt; quodque vel ſolum de hominis iudicio ſatis eſſet teſtimonii, ſi aliud nullum poſſet adferri. Scripſerat Smetius, *hypocha*, *rete*, idque Graeco verſu Oppiani ὑποχὴ, plurali ὑποχαὶ, dici, oſtenderat. Non cepit hoc Anonymi ſtupor, qui, pro *hypocha*, *rete*, legit vna voce *hypocharete*, quod hypocauſti fortaſſe genus eſſe credidit, aut foci, ſtatimque in ſuis ſcriniis paratum habuit verſum, ex quo vis pariter vocabuli, et quantitas cognoſcitur, ſi diis placet, qui lectu eſt dignisſimus:

Dixit hypochareten hiemis ſolatia noſtrae.

Satis, opinior, ex his conſtabit, quantopere fallantur omnes, qui talibus Smetianae proſodiae exemplaribus contenti, nihil amplius praeterea requirendum putant, et Apollini ac Muſis placere credunt, quae homini viſa ſunt omnium imperitiſſimo, et ad ferendum de his rebus iudicium ineptiſſimo.

mo. Et tamen pleroſque eſſe ſcio, qui inquinatiſſima haec exemplaria primigeniis etiam longiſſime praeferant, quae Smetio ſuperſtite ſunt euulgata: etſi, quod iam ſupra dixi, nec ea quidem ita ſunt emendata, vt nihil in iis poſſit reprehendi. Quod ne temere dixiſſe videar, non quantum ex magna copia poſſem, ſed quantum in praeſenti ſatis erit, exemplorum in medium proferam.

ACROMA, pro *acroama*, ex Prudent. περὶ ϛεφάν. II. 324. mihi quidem ſuſpectum eſſe, non diffiteor, etſi in pleriſque libris ita legitur. Nulla enim cauſa eſt, quare hic Prudentius *acroma* maluerit, quam *acroama*, quod metro ipſius aptiſſimum erat. Itaque vereor, ne acroma ab iis inductum ſit, quibus, *acroama* penultima longa dici, non ſatis fuit notum. At, ſi vel maxime retinendum fuerit in Prudentio *acroama*: Smetius tamen admonere debuiſſet, *acroama*, ſine contractione, primam natura habere breuem, itemque ſecundam, tertiam vero longam, vt cetera huius formae. Quod quia Smetius tacuit, inualuit praua conſuetudo, vt *acroama* penultima breui pronuntietur, itemque *acroaſis*; cuius penultima eadem licentia corripitur. Sed aliud poſcit analogia, cum *thymiama*, ceteraque, quae a verbis in ιάω et οιάω deriuantur, producantur. Sophocles in Oedip. tyran.

Πόλις δ᾽ ὁμȣ̃ μὲν θυμιαμάτων γέμει. Vid. Vrſin. grammat. Gr. p. 465.

APPENDIX penultimam genitiui *appendicis* corripere, non ſatis certa ratione et ſibi, et aliis perſuaſit. Verbale enim eſt, a praeſenti fluens, vt *ſtruix*, quod Plautus quidem produxit 1. Men. 1. 26.

Tantas ſtruices concinnat patinarias.

Vt vero *ſtruicis* a multis corripitur, atque in his a I. C. Scaligero: item *appendicis* a pluribus penultima correpta dicitur. Diſſentit vero ab his Ricciolus in ind. proſod. reform. Ol. Borrichius cogit. p. 310. et anal. part. II. p. 30. Nolten. lexic. antibarb. p. 182. His ex veteribus addo nunc Priſcian. lib. VI. p. 724. *Similiter*, inquit, *in X deſinentia maſculina tantum Latina corripiunt I penultimum in obliquis.* Et paullo infra:

fra: *alia vero omnia in X deſinentia per obliquos caſus longam habent penultimam, vel natura, vel poſitione.* Pauca excipit, in quibus vero non legitur *appendix.* Accidit ergo huic, quod pluribus huius formae, vt *offendix*, *natrix*, quorum genitiuos, regula neglecta, conſuetudo corripit.

CICHOREVM non tribuendum erat Iuuenali, cum Columellae ſit verſus, qui adfertur:

Lichorea, et teneris frondens lactucula fibris,

qui legitur lib. X. v. 111. vbi tamen in Gesnerianis et aliis quibusdam exemplaribus expreſſum eſt,

Intiba, iam teneris frondens lactucula fibris.

Graece ſcribitur κιχώριον, et primam producit, auctoritate Nicandri alexipharm. v. 429. qui tamen κίχορα ſcripſit: corripit vero apud Horatium I. od. XXXI. v. 16. et primam et ſecundam, a κιχόρειον, quod lexica quidem ignorant.

DYNASTES, prima longa, nunquam dixit Seneca. In verſu illius, quo Smetius vtitur, pro *dynaſtas* alii legunt *diuitias*, alii *diuinat.* Δύναμαι certe, vnde haec vox orta eſt, in prima breuiter dicitur, quod Smetius non ignorauit. Ignorauit vero illud interpolator Smetii, qui et ſuum verſum addidit, quo *dynaſtes*, prima longa, in exemplum praeſcribitur.

EVRIPIDES antepenultima breui, Sidonii exemplo, probat. Rectius feciſſet, ſi Terentiani Mauri hexametrum poſuiſſet:

Fabula ſic Euripidis incluta monſtrat Oreſtem.

Hic enim docte ſecundam produxit, tertiam corripuit, quam Graecae linguae imperiti producunt. Secundam vero producendam eſſe, Priſcianus etiam docuit lib. II. p. 582. quod ab *Euripus* dictus ſit *Euripides*, cuius penultimam omnes producte pronuntiant. At in *Euripides* frequentes eunt in alia omnia, in quibus et Ricciolus. Non ita Graeci, qui ſecundam producunt, tertiam corripiunt. Saepe id fecit Ariſtophanes, cuius vnus verſus ſatis erit ex Ran. v. 67.

Ἐυριπίδου, καὶ ταῦτα τοῦ τεθνηκότος.

FACILE, vltima longa, Sereno Samonico tribuit. Verſus vero Samonici ita legendus eſt, et ita nunc, etiam ex recenſione Burmanni, legitur: *Qui*

Qui facili potu antidotos imitatur honeſtas.

Neque ab vllo alio ſatis idoneo auctore vltima vocis producitur. Falluntur enim, qui ab Ouidio remed. amor. v. 44. id factum putant, cum ab Ouidio *facies* relictum ſit, non *facile.*

IBERES, *Iberibus*, Lucano tribuit, cuius citat hemiſtichion, *occurrat Iberibus alter.* Lucanus vero ſcripſit, *occurrat Iberis Alter*, vt iam antea ad Vechneri hellenolexiam, a me editam, dixi p. 25. Nunc, praeter Seruium, ita hunc verſum legiſſe etiam Iſidorum Hiſp. obſeruo orig. lib. VIIII. c. 2. p. 1041. Gothofred. et P. Conſentium in arte p. 2021. Putſch.

POSSIS, vltima breui, apud Iuuenalem ſat. V. v. 10. legi, adfirmat. Cum vero *ſis*, ex *ſies* contractum, producatur; et I in *poſſimus*, *poſſitis* longum ſit, nec ipſum *poſſis* ab aliis poëtis, niſi productum, adhibeatur: non ita incurioſus metricarum legum exiſtimari poteſt Iuuenalis, vt illud corripuerit. Nec opus eſt coniectura, cum optimae fidei exemplaria non *poſſis* habeant, ſed *poſcis.*

SEMISOPITVS, antepenultima breui, falſa Ouidii auctoritate deceptus, probat. Verſus Ouidii, quos erroris ſui duces habuit, ſunt ex epiſt. X. 10. et I. Amor. XIIII. 20. in quibus olim quidem librariorum vitio *ſemiſopitus* lectum conſtat. Id vero mendum a ſagacioribus grammaticis iam pridem deprehenſum et ſublatum fuit, qui *ſemiſupinus* reſtituendum eſſe viderunt

TEMERE vltimam producere, multum abeſt, vt vnico Tertulliani verſu planum fiat. Veterum poëtarum optimus quiſque vltimam elidit, non ita conſtanter id facturus, ſi produceret liceret. Nec verum eſt, Ouidium VI. Faſt. v. 573. ſcripſiſſe,

Dum dea furtiuos temere profitetur amores.

Timide enim reponunt Heinſius et alii meliorum. Nouorum vero poëtarum exempla nihil moror, quae Kirchnerus in ſua proſodia collegit, cum, quantum hi ſibi indulſerint, ex ceteris appareat. Eodemque loco et cacodaemonis, ſi credere licet, vulgatiſſimum illum verſum habeo:

Signa

Signate, ſigna, temere me tangis et angis.
Non ſuo enim, ſed monachi ore ille haec locutus eſt.

V.

His Smetii erroribus, quorum ſimiles omitto alios, paucos quosdam ſubiungam, qui non ſunt Smetii.

DIATRIBA, vel *diatribe*, penultimam acuere, poſt alios Noltenii ſententia eſt lexic. antibarb. p. 191. ſi cauſam quaeras, reſpondetur, quod τρίβω, vnde declinetur, penultimam producat. Non licet negare, quod conſtat inter omnes, qui Homerum ceterosque poëtas Graecos non ignorant, quibus τρίβω longum eſt. Nihilo tamen minus illud etiam certiſſimum eſt, deriuata τριβὴ, τρίβος, τριβὰς, primam breuem habere, eorundem poëtarum auctoritate. Exemplis hoc firmant Kirchner. in proſod. Graec. et Borrich. in lingua pharmacopoeor. voc. *dialithontribon.* Nulla huius rei alia ratio excogitari poteſt, quam ea, quae et Borrichio probabilis videtur, formata eſſe haec vocabula ab aoriſto ſecundo, cuius penultimam vocalem corripi, grammatici conſentiunt. Vid. Vrſin. grammat. Graec. p. 186. Cum vero ab eodem verbi tempore et *diatribe* ducatur, vel, ſi mauis, a futuro ſecundo, cuius eadem quantitas: nihil errat, qui vulgarem pronuntiationem ſecutus, penultimam huius vocis corripit.

HALICARNASSEVS eſſe vel quinque ſyllabarum, vel, ſi ſex ſyllabis dicatur, penultimam breuem habere, haud facile doctorum quisquam ignorabit, etſi vulgus, penultima longa, pronuntiat *Halicarnaſſéus.* Cur vero in ceteris diſſentiatur, quorum ſimilis eſt ratio, exputare nondum potui. Quid enim prohibet dicere, *Piraéeus*, *Phaléreus?* Vt enim illud Graece ſcribitur Ἁλικαρνασσεὺς, ita haec Πειραιεὺς, Φαληρεὺς, tribus, non quatuor ſyllabis, aut ſi dialyſis placuerit, penultima tamen breui. Quod itaque iam ad Vechneri hellenolexiam p. 41. dixi *Phaleréus* non eſſe probandum, id iam nunc iterumque repetens, barbaram plane eſſe hanc pronuntiationem, adfirmare audeo. Quo intolerabilius mihi viſum fuit, cum in Phaedro Burmanni non aliam ob cauſam,

I quam

quam quod vulgaris error verae lectioni obſtabat, verſum illum lib. V. fab. 2.

Demetrius, qui dictus eſt Phalereus,

in hanc formam corruptum deprehendi,

Demetrius, Phalereus qui dictus eſt.

Ex quo ſatis apparet, haec, etſi ſint leuia, non plane tamen eſſe contemnenda: cum neglecta fraudi ſoleant eſſe, non tantum iis, a quibus ignorantur, ſed ipſis etiam litteris Latinis, quibus maxime aliquando corruptelae a minimis cauſis naſcuntur.

PROPITIVS primam producit Prudentio et Iuuenco; ſecundam etiam nonnunquam, vt Ricciolo videtur. Sed primam quidem Plautus et Seneca corripiunt, quorum maior eſt auctoritas: idque non improbabilis ratio confirmat, quod a *prope* dictum videtur *propitius*. Atque iidem poëtae ſecundam quoque corripiunt: quod iterum analogiae conuenientius eſt, quam ſi producatur. Nam adiectiua in ICIVS vel ITIVS, a nominibus deriuata, antepenultimam correptam habent, vno fortaſſe *nouicius* excepto, quod Iuuenalis produxit. *Prope* vero eſt adiectiuum neutrum, ab inuſitato *propis*, cuius comparatiuus *propior* in vſu manſit.

PVPVGI, praeteritum verbi *pungo*, Noltenius in lexic. antibarb. p. 221. penultima longa pronuntiare iubet. Sic enim Prudent. περὶ ϛεφάν. VIIII. 59.

Maior tortor erat, qui ſumma pupugerat, infans.

Sed neceſsitate coactum hoc feciſſe Prudentium, quis non videt? Nam ita Ennius quoque in *tutudi* penultimam produxit. Quis vero nunc *tutudi* penultima longa dicit, in ſoluta praeſertim oratione? cum Horatius iam, aliique veterum, ab Ennio diſſenſerint, nec ipſe Ennius ſibi conſtiterit, aliis locis eam ſyllabam corripiens. Hinc Priſcianus lib. X. p. 891. *Tundo, tutudi, penultima a plerisque correpta, a quibusdam autem etiam producta.* Nihil hic de producenda penultima in *pupugi*, etſi illius mentio ſit p. 894. Dices fortaſſe, *tutudi* poſſe corripi, quod ab eo *tudes* veniat, prima breui: a *pupugi* vero eſſe *pugio*, cuius prima ſit longa. Sed et a *tango*, *tetigi* ſit

conta-

contagies, a *pango*, *pepigi*, *compages*. Ergo ne haec quidem ratio ſatis vincit, penultimam in *pupugi* eſſe producendam.

VI.

Sed longior hic fui quam volueram. Itaque, etſi ſuperſunt alia, quibus haud alienus hic locus eſſet, ad eos tamen errores notandos progrediar, quos in vocabulorum flexione, ſignificatione et conſtructione grammaticis eſſe familiares video.

ETESIAE generis eſſe feminini, primaria etiam lexica aliquot adfirmant. Cellarius etiam ad Plinii epiſtolam XXVI. libri X. eiusque verba, *eteſiae reluctabantur*, haec adſcripſit: *harum quidem flatu in orientem nauigantibus ſecundum mare*. Cum vero ſit a nominatiuo *eteſias*, Graecis ὁ ἐτησίας, rectius habetur maſculinum. Hoc gentis optimos ſcriptores agnouiſſe, inuenio. Ariſtoteles de mundo: ὡς οἱ ἐτησίαι λεγόμενοι. Diodor Sicul. lib. I. de Nilo: τοὺς ἐτησίας ἀντιπνέοντας ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ ποταμοῦ, κωλύειν εἰς θάλασσαν τροχεῖσθαι τὸ ῥεῦμα. Plin. lib. XVIII. c. 34. de aquilone: *mollit ſidera aeſtate media*, *mutatque nomen*, *et eteſias vocatur*. Cicer. lib. II. de N. D. c. 53. *Ventos eteſias*, *quorum flatu nimii temperantur calores*. Id. lib. XV. ep. 11. extr. *Ego*, *ſi me nauigatio non morabitur*, *quae incurrebat in ipſos eteſias*, *propediem te*, *vt ſpero*, *videbo*. Senec. lib. V. N. Q. cap. 11. *Eteſiae ob hoc ſomniculoſi a nautis et delicati vocantur*, *quod*, *vt ait Gallio*, *mane neſciant ſurgere*. Non plane tamen reprehendendus eſt Cellarius, qui *eteſias* feminine dixit. Fecit id Hyginus quoque poët. aſtron. lib. II. c. 4. p. 365. Munker. *Ab Ioue impetrauit*, *vt eteſiae flarent*: *quas nonnulli eteſias dixerunt*, *quod quotannis certo tempore exoriantur*. Deinde iterum: *nonnulli etiam eteſias appellauerunt*, *quod expoſtulatae ſunt ab Ione*, *et ita conceſſae*. Si recte memini, pluribus locis cum hoc congruit Solinus; ad quem legendus Salmaſius exercit. p. 697. et Iſidor. Hiſpal. lib. XII. orig. c. 11. Nec ideo tamen excuſandi ſunt auctores lexicorum, qui *eteſiae*, ſubſtantiuum, quod nunquam femininum eſt, non diſtinguunt ab

adiectiuo, *eteſiae*, ad quod *aurae* ſubintelligendum eſt. Illud a nominatiuo ſingulari *eteſias*, ἐτησίας, eſt; hoc ab *eteſius*, ἐτήσιος, *annuum* ſignificante.

VII.

HYDRARGYRVM, vel *hydrargyron*, genere neutro, omnia lexica Latina in ciuitatem Romanam recipiunt. Si quaeras auctoritatem, Plinius citatur, cuius verba ſunt lib. XXXIII. cap. 6. *Qui liquore candido eum vſum adulterauere, mox et hydrargyro, de quo ſuo dicemus loco.* Item. cap. 8. eiusdem libri: *Ex ſecundario inuenit vita et hydrargyrum in vicem argenti viui, paullo ante dilatum.* Cum vero quarto et ſexto caſu vtatur Plinius: dubitare adhuc licet, (mihi certe ante multos annos, cum diſſertationem de argento viuo in tenebris lucente Giſſae Haſſorum ſcriberem, in mentem venit dubitare) ſitne primus caſus *hydrargyron*, *hydrargyrum*, an vero *hydrargyrus*. Graecis enim dicitur, non ὑδράργυρον, ſed ὑδράργυρος: cumque Graecam fere terminationem retineant Latini, nunquam adduci potui, vt *hydrargyron* primum caſum eſſe crederem. Niſi igitur certius aliquid adferatur, et aliorum ſcriptorum teſtimoniis *hydrargyron* confirmetur: magna eſt ſuſpicio, ne Plinio, ſed vulgo auctore, *hydrargyron* nobis placeat. Interea, dum meliora nos docebunt peritiores, quibus Plinii codices inſpiciendi facultas eſt, *hydrargyros* praeferetur, quo et Pauli Aeginetae lib. VII. et Oribaſii interpres lib. XIII. vtitur. Hoc vero cuius ſit generis, noua ambigendi cauſa ſubnaſcitur. Plinius, ſi ita, vt editum eſt, ſcripſit, *hydrargyro* dixit, *de quo*, et, *hydrargyrum paullo ante dilatum.* Sed vt Plinius, pro *lithargyros*, alibi maluit *lithargyrion*: ita mihi non videtur incredibile, pro *hydrargyron*, *hydrargyro*, primam eius manum fuiſſe *hydrargyrion*, *hydrargyrio.* Sed tamen et *hydrargyron*, *hydrargyro*, genere maſculino poteſt accipi. Hoc certe genere ὑδράργυρος legitur apud Paulum Aeginetam lib. VII. c. 3. extr. cuius verba ſunt: ὑδράργυρος εἰς μὲν ἰατρικὴν χρείαν ἐ πάνυ τι φέρεται, δηλητήριον ὢν· τινὲς δὲ καύσαντες αὐτὸν ὡς τεφρωθῆναι, καὶ μίξαντες ἑτέροις εἴδεσιν, ἐπὶ κωλικῶν τε καὶ τῶν εἰλεωδῶν ἐδίδοσαν πιεῖν.

Gale-

Galeno autem femininum eſt lib. VIIII. de ſimplic. medicam. facult. c. 32. Ὑδράργυρος οὐκ ἔστιν τῶν αὐτοφυῶν, ἀλλὰ τῶν σκευαζομένων, ὥσπερ ψιμμύθιόν τε, καὶ ὁ ἰὸς, καὶ ψωρικὸν, καὶ λιθάργυρος. Ἔχω δὲ ΑΥΤΗΣ οὐδεμίαν πεῖραν. Accedit Dioſcorides, qui lib. V. c. 110. in eundem modum: ἔνιοι δὲ ἱστοροῦσι, καὶ καθ' ἑαυτὴν ἐν τοῖς μετάλλοις εὑρίσκεσθαι τὴν ὑδράργυρον. Id. lib. VI. c. 28. ὑδράργυρος δὲ ποθεῖσα. Atque eiusdem illi generis eſt etiam λιθάργυρος lib. V. c. 102. Hinc corrigendus eſt H. Stephani theſ. Graec. vbi legas, ὑδράργυρος, ου, ὁ, *argentum viuum.* Reſcribendum enim eſt, ὁ καὶ ἡ. Sed caeci plerique, qui noua lexica Graeca componunt, in his etiam Stephanum ſequuntur, vbi ipſe in tanta rerum multitudine caecutiuit.

VIII.

Participium INQVIENS, verbi *inquam* nusquam apud veteres et probatos ſcriptores Romanos lego, etſi eo ne doctiſſimos quidem noſtrae aetatis abſtinere video. Pro eo Romanis placuit *dicens*, vt Nepoti Milt. III. 1. *docens*, Ageſ. II. 1. *dictitans*, Tacit. I. An. 14. 2. *dictans*, ibid. c. 72. 2. Scio quidem, in nonnullis Plinii minoris exemplaribus lib. I. ep. V. 9. legi, *parce*, *inquiens:* ſed id Caſaubonus iam olim, tanquam ineptum, delendum eſſe cenſuit, omnibusque perſuaſit. Nec alius quisquam, dum in ſuo faſtigio eloquentia ſtetit Romana, id participium admiſiſſe, mihi quidem obſeruatus eſt. Non obſtabit mihi Hieronymi auctoritas, qui epiſtola ad Nepotianum, quae ſecunda eſt tom. I. p. 10. a Francof. ſcripſit: *Docebo te*, *inquiens*, *ſuper hac re in eccleſia.* Nec Sedulium quisquam obiiciet, qui ita in praef. p. 5. Cellar. *Talibus me blandae orationis vocibus adloquens: cur*, *inquiens*, *affabilis amice*, cetera. Nec moror denique Auguſtinum, qui, cum alibi, tum Soliloqu. c. 12. dixit: *Quod is*, *qui vidit*, *ſub ſilentio non tranſiuit*, *inquiens*, *quidquid enim eſt in mundo.* Hos non imitamur, cum Latine dicimus et ſcribimus, ſed Ciceronem, et qui eius non plane ſunt disſimiles, quos nunquam ſuum feciſſe illud *inquiens*, inuenies. Eadem ſententia eſt principum grammaticorum. Phocas in ſua arte

p. 1719. non futuri tantum, ſed et praeſentis temporis participium verbo *inquam* deeſſe, adfirmat. Priſcianus, etſi p. 876. ſcribit, *ſecundum analogiam tertiae coniugationis inuenitur eius tota fere declinatio verbi*, paullo tamen ſuperius, p. 818. verius dixerat, *inquio etiam, verbum, in multis deficit.* Deſpauterius lib. VI. f. 112. b. poſtquam tempora, quae ſunt vſitata, enumerauit, addit: *reliqua olim lecta*, inquimus, inquitis, inquiam, inquite, inquire, INQVIENS, *iam paene omnia exoleuerunt.* Voſſius in grammat. Lat. p. 144. *Agnoſcunt alii et participium*, inquiens, *quo vtetur, cui obuerſatur idonei ſcriptoris auctoritas. Ea quae nos poſuimus, reperias apud claſſicos ſcriptores.* Friſchlinus etiam in ſua grammatica p. 131. participium hoc deſiderari, adfirmat, ideoque illud in paralipomenis ad lib. IIII. c. I. p. 360. plane omittit. Auctor nouae methodi diſc. lingu. Lat. quae Gallico ſermone ſcripta eſt, p. 525. cetera huius verbi tempora, quae leguntur, collegit, participium vero, tanquam obſoletum, praeteriit. Tot igitur grammaticorum iudiciis damnata vox merito exulare exterminarique debet: idque eo magis, quod nemo, quod ſciam, adhuc exſtitit, qui cauſam eius ſuſciperet, et, quae contra dicta ſunt, dilueret. Hoc loco non alienum erit, de vſu verbi *inquit* illud quoque obſeruare, toti illud orationi aliquando praemiſſum inueniri. Plinius lib. I. ep. V. 13. *Haeſitabundus inquit, interrogaui, non vt tibi nocerem, ſed vt Modeſto.* Hic non Reguli vox eſt *haeſitabundus*, ſed Plinii, adeoque totam orationem verbum *inquit* praecedit. Non diffitebor tamen, in vetuſtis exemplaribus, quae Argentorati et Baſileae vulgata vidi, illud *inquit* non apparere, idque recte omiſſum videri. Sed et Curt. lib. VI. c. 11. n. 18. *Et vtroque impetrato, Cratero inquit: dic, quid me velis dicere.* Videndum tamen, an et hic legendum ſit: *Cratere, inquit, dic, quid me velis dicere*; ac potius, *Cratero, dic, inquit, quid m. v. d.* Similis transpoſitio a Boeclero facta, et doctis approbata eſt in Nepot. Con. c. III. 3. vbi antea legebatur: *Huic ille inquit, nulla mora eſt.* Nunc enim, Boecleri monitu, ab omnibus editur: *Huic ille, nulla, inquit, mora eſt.* Recordor

et

et loci in vita Horatii, quae Suetonio adſcribitur, cuius principio vulgatum eſt: *Vbi inquit*, *Ni te viſceribus meis*, *Horati*, *plus iam diligo.* Hic vero itidem Cruquius verba, *vbi inquit*, codicis ſui fide expunxit.

VIIII.

Non verisſimam ſignificationem voci CANALIS tribuunt, qui eam συνώνυμον eſſe volunt nominis *tubi*, *fiſtulae*, *ſiphonis.* Diſtinguuntur haec a veteribus, idque ex hoc Varronis loco intelligas, quem ex lib. III. de R. R. cap. 5. pr. ponam. *In hoc tectum aquam venire oportet per fiſtulam*, *et eam potius per canales anguſtas ſerpere*, *quae facile extergeri poſſint.* Loquitur de ornithone, in quem aqua *fiſtulis*, vel *tubis*, (nos *rören* appellamus) immittitur, immiſſa vero canalibus, qui non clauſi, ſed aperti ſunt, excipitur, et potaturis auibus miniſtratur. *Canales* ergo ſunt *rinnen*, noſtro quidem ſermone, e quibus potum licet haurire et auibus, et pecudibus. Confirmat hoc Virgil. III. Georg. 330. et IIII. 265. Idem Varro eod. l. *Auibus aqua miniſtratur per canaliculam.* Eod. l.c. 11. *In eo perpetua canalis*, *in quam et cibus ponitur iis*, (anatibus) *et immittitur aqua: ſic enim cibum capiunt.* Vitruu. lib. VIII. c. 7. *Ductus autem aquae ſunt generibus tribus: riuis, per canales fictiles; aut fiſtulis plumbeis, ſeu tubis fictilibus.* Hinc *canales* Columellae dicuntur, in quibus ſal praebetur pecori, *Salzrinnen*, lib. VI. c. 23. medici vero ita vocant ligna excauata, quibus fracta crura et femora conſtringuntur, vt docet Celſ. lib. VIII. c. 10. n. 5. Ex ſuperiori Vitruii loco illud etiam diſcas, diſcrimen eſſe inter *fiſtulas* et *tubos.* Illae ſunt ex metallo, hi ex ligno vel argilla. Hanc diſtinctionem formant Vitruuii reliqua verba eod. l. *Multo ſalubrior eſt ex tubulis aqua*, *quam per fiſtulas.* Item: *Itaque minime fiſtulis plumbeis aqua duci videtur*, *ſi volumus eam habere ſalubrem. Saporem quoque meliorem ex tubulis eſſe*, cetera. Plinius quoque lib. XXXI. c. 6. pr. eadem ratione *tubos* et *fiſtulas* diſcernit. Adde eundem lib. XVI. c. 42.

X.

In voce FINIS errat auctor Fabriani theſauri, cum *quem ad finem?* interpretatur, *wozu*, *weswegen?* Non eſt, *quamob cauſam*, ſed, *quousque? quam diu?* Haec vis eſt locutionis apud Ciceron. lib. I. de orat. c. 34. pro Coel. c. 5. Catil I. c. 1. Ita etiam Corn. Nepos Epam. II. 5. *Itaque exercebatur plurimum currendo et luctando, ad eum finem, quoad ſtans complecti poſſet, atque contendere.* Vid. Vorſt. ind. ad Corn. Nepot. et Boſius ad d. l. Nec aliter explicandum puto *ea fini* apud Gellium lib. VII. c. 3. quod in eodem Fabri theſauro vertitur, *zu dem Ende.* Verba Gellii ſunt: *Ad hoc enim, inquit, plane ſtultitiae plenum eſt, eo conſilio, atque ea fini facere velle aliquid, vti nunquam id facias, quod velis.* Quid enim impedit, quo minus *ea fini* ita capias, vt ſit *tamdiu, eo vsque, hactenus?* Hoc certe aliis locis *ea fini* ſignificat Gellio. Lib. I. c. 3. extr. *Hac fini ames, tamquam forte fortuna oſurus: hac itidem tenus oderis, tamquam fortaſſe poſt amaturus.* Lib. XIII. c. 19. med. *His tum verbis Probus, et hac fini, hominem dimiſit. Hac fini* hic eſt, in haec verba deſinens, non plura addens. Latine igitur non loquuntur, qui *ad eum finem*, et, *quem ad finem?* dicunt, cum ſignificare volunt, *eo conſilio, ea mente, quo conſilio?* etſi nihil hodie vulgi vſu eſt tritius.

XI.

In eodem lexico parum accurate explicatur, quid ſit SEMIS, quando aliis vocibus adiicitur. Nam *octo ſemis* idem eſſe dicitur, quod ſeptem cum dimidio, *achthalben.* Vitruuius vero eo, de quo agitur, loco non ſeptem pedes et dimidium, ſed octo et dimidium, praeſcribit. Aliud ſcilicet ſignificat *ſemis*, cum praeponitur, aliud, cum poſtponitur. Ante ſubſtantiuum dimidium ſignificat; poſt illud, totum cum dimidio. *Semipes*, eſt dimidius pes; *pes ſemis*, vnus pes cum dimidio, qui dicitur *ſesquipes.* Veget. lib. III. de re milit. c. 8. *Caeſpes ſit altus ſemis pedem, latus pedem, longus pedem ſemis.* Priſcian. lib. II. p. 572. *Tempus vnum, vel duo, vel etiam, vt quibus-*

dam placet, *vnum ſemis*, *vel duo ſemis*, *et tria.* Hic *vnum ſemis*, eſt ſesqui; *duo ſemis*, duo cum dimidio. Alius vocis vſus eſt, quem a Graecis acceperunt Latini, cum ſubſtantiuo plurali *ſemis*, vel *ſe* praeponitur, ea ſignificatione, qua Graece dicitur *τρία ἡμιτάλαντα*, *τρία ἡμιωβόλια*, pro *ſesquitalentum*, *ſesquiobolus.* Pollux: *Φίλον τοῖς ἀρχαίοις*, *καὶ τὸ ἓν ἥμισυ τάλαντον*, *τρία ἡμιτάλαντα λέγειν.* *Sollemne eſt veteribus*, *vnum ſemitalentum dicere*, *tria ſemitalenta.* Sic e Latinis Martialis lib. IIII. ep. 46. *Et turis piperisque tres ſelibrae*, i. e. ſesquilibra. Impp. in cod. Theodoſ. *ſex ſemiſſi liquae*, pro, tres ſiliquae. Vid. Caſaub. ad Theophraſti character. Haec ſcribens in memoriam loci Pliniani redeo, quem, cum non ſatis attendiſſet hunc vocis vſum, male interpretatus eſt Dalecampius Scripſerat Plinius lib. XVII. H. N. cap. 11. *Eadem menſura Graeci auctores conſentiunt*, *non altiores quino ſemipede eſſe debere*, *nec latiores duobus pedibus.* Hic Dalecampius adſcripſit: *quatuor pedum et ſemiſſis.* Immo vero, *duobus pedibus et ſemiſſe.* Graece *πενθημιπόδιον* diceres, Latine etiam *ſeſtertium*, vel *ſesquitertium pedem.* Sed haec iam docuerunt Budaeus de aſſe lib. I. p. 3. Viger. de idiotiſm. Graec. cap. III. ſect. II. n. 14. p. 37.

XII.

NOTA vulgo idem eſt, quod *explicatio*, *interpretatio*, *ſcholion*: veteribus autem illam ſignificationem fuiſſe notam, inre negat Facciolatus epiſt. II. quam orationibus ſuis ſubiunxit, p. 277. *Notae* illis erant, non quae explicandi et illuſtrandi cauſa adſcribebantur; ſed, quibus ea, quae placebant, vel diſplicebant, diſcernebantur a reliquis. Exempla ſuppeditant Plinii epiſtolae VII. 17. 7. et VIIII. 26. 13. Easdem et *adnotationes* appellare videtur lib. VII. ep. 20. n. 2. Gellius vero *adnotationes*, *adnotatiunculas* et *adnotamenta* vocat ea, quae adnotantur, obſeruantur et excerpuntur. Loca indicat Fabri theſaurus. Ex eadem nota eſt vox EDITIO, cum libri alicuius exemplaria ſignificat, quae vna opera typographica vulgantur. Boni ſcriptores *editionem* vocant ipſum edendi actum,

non ea, quae eduntur. Hos non imitantur, qui dicunt, *Herodoti editio Stephaniana*, *Ciceronis editio Aldina*. Nec melius VERSIO dicitur, μετάφρασις vel interpretatio alicuius libri; LECTIO, dictata magiſtrorum, diſcenda, quae tractantur in ſchola; EXERCITIVM, ſtili exercendi materia, ſcribendi argumentum; COLLEGIVM, ſcholae, commentarii et diſputationes profeſſorum. Haec omnia, cum pluribus aliis, non in Romanorum ſcholis, ſed noſtris, ſub praeceptoribus Latine dicendi imperitis, primum nata, ita nunc vulgo probantur, vt reprehenſionem non effugiant, qui meliora deſiderant, aut ſuppeditant.

XIII.

Supereſt, vt pauca, quae in conſtruendi ratione perperam praecipiuntur, ſuperioribus attexam. CELARE ALICVI recte dici, conſentiunt inter ſe grammatici recentiores, Deſpauterius, Calepinus, Linacer, Sanctius et ſequaces. Eos vero, corrupto Terentii loco deceptos, hanc legem tuliſſe, multae cauſae ſunt, cur ſuſpicer. Aiunt enim, Terentium Phorm. V. 4. 6. ſcripſiſſe, *ſi hoc celetur patri.* In Terentio vero legitur, et legendum eſt: *Quin ſi hoc celetur, in metu; ſin patefit, in probro ſiem.* Atque hoc iam ſatis docuit Perizonius ad Sanctii Mineru. p. 180. Veterum grammaticorum nemo, quod ſciam, datiuum huic verbo dedit. Hos vero, cum ceterorum verborum conſtructionem curioſiſſime tradiderint, (quod in primis fecit Priſcianus) quis hoc vnum, quod maxime erat obſeruatione dignum, praetermiſiſſe credat? Donatus quidem ad Terent. IIII. Hecyr. I. 15. monuit, *illam rem celo te* antiquam eſſe locutionem: at de *celo tibi* tacuit; nec, dum alterum antiquum dixit, *celo tibi* praetulit, ſed *celo te de illa re*, quo Cicero delectatus eſt. Etſi vero *illam rem celo te* antiquum erat Donati aetate: aliter tamen viſum eſt prioribus illis ſaeculis, quibus Latina lingua viguit. Non ſolum enim actiue frequens eſt *celo te eam rem*, ſed et paſſiue, *celor illam rem.* Terent. IIII. Hec. IIII. 23. *Nosne hoc celatos tam diu?* Atque ita ſaepius et ille, et Plautus, vt videbis ex Barth. Riccii

ap-

apparatu Lat. locution. p. 75. Hirtius etiam Alex. c. 7. *Quod neque celari Alexandrinos poſſent in apparanda fuga.* Dicat aliquis, parum mihi praeſidii eſſe in veterum grammaticorum ſilentio; nec, ſi Terentius non dixerit, *celetur patri*, ideo omnes Romanos pariter hanc ſyntaxin refugiſſe. Ipſe etiam memini, Nic. Heinſium Ouidio IIII. Faſt. 149. eam vindicare, vbi in codice aliquo ſcriptum vidit, *vt tegat hoc, celetque viris.* At nec a me demum docendi ſunt Latinitatis vindices, nullum eſſe ſoloeciſmum, cuius non aliqua in vetuſtis etiam membranis exſtent veſtigia, et cui non aliquid inde ſperari poſſit patrocinii. Cum vero toties quartum caſum verbo *celare* iunxerit Ouidius, idque aliorum MSS. fide hoc etiam loco fecerit: quis vni librario credat, hic eum a ſe ipſum diſſediſſe? Sed quid de Cornelio Nepote dicam? qui, conſentientibus libris, ſcripſit Alcib. c. V. n. 2. *Id Alcibiadi diutius celari non potuit.* Non nego, in hoc vno loco aliquid praeſidii eſſe iis, qui *celare alicui* defendunt. Primi autem huius συντάξεως inuentores, quos ſupra dixi, illum aut ipſi ignorarunt, aut in ſubſidium vocare noluerunt, quod, cuius eſſet aetatis Cornelius Nepos, ac potius Aemilius Probus, cuius nomine libellus ferebatur, parum habebant exploratum. Tanto vero magis hoc teſtimonium mihi fit ſuſpectum; quod reiectis et exploſis ceteris, vnum omnium ſcriptorum auctoritati opponitur. Conſtat autem inter omnes, Cornelii Nepotis libellum, quamuis eleganter ſcriptum, multis locis eſſe corruptum, nec facile imitandum, vbi a probata dicendi ratione deflectit. Nouis hoc exemplis pluribus alio a me loco probabitur iis, quibus iniurioſe ſuſpicari exiſtimor. Nec multum erit negotii, indiciis oſtendere certiſſimis, omnia eius et ſcripta et vulgata exemplaria aliquando conſpirare, vbi maxime diſſenſu opus erat; vt vix dubitari poſſit, quin ea ab vno non ſatis emendato exemplari, quod ſolum aetatem tulerat, nec tamen auctoris ſui nomen ſeruauerat, iam olim fuerint deſcripta. Quae cum ita ſint, nihil hoc quidem loco ab imperitorum librariorum errore praeſtari poteſt, vbi, nullo veterum ſuffragante, *celare alicui* legitur. Quid? quod mendi cauſa et origo nec obſcura quidem eſt. Veteres enim ſcripturae compendia, in nominibus certe propriis, amaſſe, neminem

fugit

fugit: eam vero ſcribendi rationem ſaepe librariis peccandi cauſam fuiſſe, multis exemplis docuit Io. Clericus in artis critic. part. III. ſect. 1. cap. 12. Quod ſi igitur ſcriptum fuit, *id Alcibiad.* vel *Alcib. diutius celari non potuit*: quam facile fuit legere librario, aliud agenti, aut non ſatis docto, *Alcibiadi*; aut ſyllabam *di* ex ſequenti voce *diutius* ad praecedentem transferre? Cum vero Nepos Hannib. II. 6. cum ceteris dixerit, *ſi me celaris*: multo probabilius eſt, eum hoc quoque loco, vel Plauti exemplo, maluiſſe, *Id Alcibiadem diutius celari non potuit*; vel Terentii more, *Id Alcibiades diutius celari non potuit*, ſubintellecta vtrouis modo praepoſitione aliqua, *ad* vel *ſecundum*, vt Voſſio placet de conſtruct. c. 40. extr. Nec tamen ideo a me disputantur haec, vt in Nepote ſine certa ratione aliquid immutetur, a qua temeritate longiſſime abſum; ſed vt oſtendatur, non omnia grammaticorum praecepta de tripode eſſe dicta, iuuenesque moneantur, tutius dici, *celor de re*, quam *res celatur mihi*.

XIII.

TIMERE ALICVI, phraſis quidem eſt Latiniſſima, non ſola tamen probanda. Nam vt dicitur, *timere amico*, de eo, qui, ne periclitetur amicus, ſollicitus eſt: ita recte etiam dicitur TIMERE PRO ALIQVO. Etſi enim Gronouius in Lactantio, lib. II. c. 4. n. 6. quaſi minus elegans, id deleuit: legitur tamen non ſolum in antiquioribus impreſſis, ſed etiam ſcriptis. In codice certe Lactantii membranaceo, quem bibliotheca SERENISS. PRINCIPIS NOSTRI ſeruat, quique cum optimis certare poteſt, ita ſcriptum deprehendi: *Quae igitur inſania eſt, ea timere, pro quibus aut ruinae, aut ignes, aut furta timeantur?* Hanc ſcripturam vt retinendam cenſeam, non huius magis codicis auctoritas me mouet, quam multorum ſcriptorum aliorum. Ita enim et Curtius lib. VI. 10. 27. *Scripſiſſe me haec fateor regi, non de rege ſcripſiſſe. Non enim faciebam inuidiam, ſed pro eo timebam.* Hoc ſi in Curtio ferimus, cur non item in Lactantio? Ne vero et in Curtio praepoſitionem *pro* cenſoria virgula confodias, intercedunt alii plures. Nam et Petron. c. 123.

Id, pro quo metuit, tantum trahit.

Pli-

Plinius minor, politus, ſi quis alius, epiſtolarum auctor, lib. III. ep. 17. extr. *Ipſe valeo, ſi valere eſt, ſuſpenſum et anxium viuere, exſpectantem in horas, timentemque pro capite amiciſſimo, quidquid accidere homini poteſt.* Celſum quoque, *metuere pro aliquibus*, dixiſſe, lexica quaedam, et auctor nouae methodi, quae Gallica lingua ſcripta eſt, p. 631. obſeruant. Nec multum abit Veget. lib. II. de re mil. c. 20. his verbis: *More humani ingenii, vt pro illis habeat maximam curam, in quibus ſuam videt poſitam eſſe ſubſtantiam.* Quare nec Lactantiano, nec noſtro ſtilo indignum erit *timere pro aliquo*, quando ſignificat, timere, ne quid mali ei accidat.

XV.

PETERE ALIQVEM, pro, *rogare*, Virgilio tribuunt non ſolum aliquot lexica, ſed etiam auctor Gallus methodi diſc. lingu. Lat. p. 634. Friſius quidem in dictionario ſuo maiori, quo Rob. Stephani theſaurum contraxit, e Virgilio adfert *peto te ſupplex*, pro *oro*, *rogo*: Virgilii autem verſus, quem ſignificare videtur, his verbis eſt lib. VI. Aen. 115.

Quin, vt te ſupplex peterem, et tua limina adirem.

Ex hoc nunquam elicias, *petere aliquem*, eſſe *rogare*. Non enim prius eſt, *te ſupplex peterem*, ſi hoc rogandi vim haberet, quam *tua limina adirem.* Natura rei poſtulat, vt prius adeatur, tum vero ſupplex rogetur, a quo auxilium poteſt ferri. Itaque *te ſupplex peterem*, eſt, *ad te proficiſcerer*, *iter flecterem*, vt dicitur *vrbem petere*, qui iter habet ad aliquam vrbem. Non igitur Virgilii eſt, *petere aliquem*, rogandi ſignificatione, ſed ignotus antiquioribus Graeciſmus, qui multo poſt Virgilii tempora a Latinis fuit receptus. Primus fortaſſe Eutropius ita dixit lib. II. c. 14. pr. *Poſt haec mala Carthaginienſes Regulum ducem, quem ceperant, petierunt, vt Romam proficiſceretur.* Poſt hunc et alii, vt Dutys Cretenſ. lib. II. c. 48. *Qui cum imperatorum verbis atque exercitus peterent, remittere iras.* Et Fulgent. lib. II. mythol. c. 27. p. 63. *Is igitur Admetus Apollinem atque Herculem petiit.*

Vid.

Vid. ad h. l. Munkerum, nihil a me diſſentientem, nec Virgilio, ſed ſequiori aeuo, hanc loquendi formam adſerentem.

XVI.

Eidem Virgilio BELLVM DVCERE, pro *gerere*, adſignat Vorſtius de Latinitat. falſo ſuſp. cap. XIIII. p. 154. et in indice ad Corn. Nep. voc. *ducere*. Eadem ſententia iam antea fuerat H. Stephani expoſtulat. de Latin. ſuſp. c. III. p. 222. Verſum enim illum lib VIII. Aen. 55.

Hi bellum aſſidue ducunt cum gente Latina,

aliter intelligi non poſſe, dicunt, quam, *hi bellum gerunt cum gente Latina.* Cum vero ceteris ſcriptoribus omnibus *bellum ducere* ſit *trahere*, *extrahere*: parum mihi ſit credibile, ſolum poetarum principem nouam verbo *ducere* ſignificationem dediſſe. Itaque, ſeruata illa, quae omnibus nota eſt, ſignificatione, hunc verſum ita cum aliis interpretor: *hi bellum*, quod *cum gente Latina* ipſis eſt, *aſſidue ducunt*, nullo anno intermittunt, inimicitiasque, quae cum Latinis intercedunt, per omne tempus continuant et in longum trahunt. Ita non coniungo, *ducunt cum gente Latina*, quod ſatis commode dici cum Vorſtio nego, ſed *bellum cum gente Latina*, id eſt, quod gerunt, quod eſt cum gente Latina. Sic Iuſtin. lib. II. c. 12. n. 5. *Quid? ſi non haec et Dario prius, et nunc Xerxi, belli cauſa nobiſcum foret, quod nos rebellantes non deſtituimus.* Illud igitur *bellum ducunt*, id eſt, trahunt *aſſidue*, nec vnquam componunt aut finiunt. Atque huic interpretationi conſentiunt et Seruius et Cerda. Ille enim, *aut gerunt*, inquit, *aut in longum trahunt.* Non dubium, quin poſterius, quo prius corrigit, magis probet. Hic vero: *ait*, ducunt, *non* gerunt, *vt indicet continuas bellorum inimicitias.* Horum auctoritas, vel vt verius dicam, horum ratio plus apud me valet, quam Vorſtii opinio atque H. Stephani expoſtulatio, qui ſibi Graeciſmum et Gallicismum hic in Virgilio obſeruaſſe viſus eſt, vt Vorſtius Germanis-

niſmum. Nec aliter Cornel. Nepotem ac Iuſtinum, *bellum ducere*, intellectum voluiſſe, apparebit lectoribus ad iudicandum non plane hebetibus et obtuſis, quos Vorſtius inuitos in ſuas partes trahit, et more Germanorum Latine exiſtimat locutos.

XVII.

IDEM CVM barbarum eſſe, Horatii Turſellini, Voſſii, Scroppii et aliorum iudicium eſt. Non ibo infitias, rarius id legi: barbarum vero eſſe, temere adfirmari autumo. Ciceronem, Liuium, Tacitum, ita dicere, non puduiſſe, Schwarzii obſeruatio eſt ad Horat. Turſell. de particul. p. 372. Praeter illos aliis non contemnendis ſcriptoribus, non barbaris certe, probum illud viſum eſſe, reperio. Nam et Curtius lib. V. c. 9. n. 2. *Nabarzanes, qui in eodem conſilio erat cum Beſſo.* Gellius lib. VIIII. c. 10. pr. *Anianus poëta, et plerique cum eo eiusdem muſae.* Idem lib. XVIII. c. 11. *Non hercle idem ſentio cum Caeſellio Vindice, grammatico.* Minuc. Felix cap. XXI. pr. *Lege Stoicorum ſcripta, vel ſcripta ſapientium: eadem mecum recognoſces, ob merita virtutis aut muneris deos habitos.* Priſcianus lib. I. p. 543. med. *Cum c tamen eandem, tam in ſono vocum, quam in metro continent poteſtatem.* Vt vero *idem cum* immerito barbarum habetur: ita *vt idem* Latinum eſſe, verius poteſt negari. Etſi enim multa Ciceronis exemplaria illud prae ſe ferunt I. offic. 1. ferri tamen illud non poſſe, Lambinus iam et Guilielmius viderunt, qui *item* vel *itidem*, legi voluerunt. Verba Ciceronis haec ſunt in vulgatis: *Tamen, vt ipſe ad meam vtilitatem ſemper cum Graecis Latina coniunxi, neque id in philoſophia ſolum, ſed etiam in dicendi exercitatione feci*, idem *tibi cenſeo faciendum.* Nunquam ita nec Cicero, nec alius quisquam, *vt idem* coniunxit: *vt item*, vel *vt itidem* frequens eſt. Ita II. offic. 14. *Nec tamen, vt hoc fugiendum eſt, item habendum eſt religioni, nocentem aliquando, modo ne nefarium impiumque, defendere.* Item lib. V. ep.

XII.

XII. n. 6. *An, vt multi Graeci fecerunt, - - tu quoque item* (non *ita*, vt Cellar.) *ciuilem coniurationem ab hoſtilibus externisque bellis ſeiungeres.* Plaut. III. Amph. IIII. 9. *Vt filium bonum patri eſſe oportet, itidem ego ſum patri.* Id. II. Capt. II. 11. *Vt nos hic, itidem illic apud vos meus ſeruatur filius.* Lucret. lib III. v. 11.

Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta.

Terent. III. Phorm. I. 12. *Tum Phormio itidem in hac re, vt aliis, ſtrenuum hominem praebuit.* Non opus eſt pluribus, quae peti poſſunt ex Horat. Turſell. de particul. et Schwarzii ad eum librum additamentis p. 1130. ſeq. ex poſtrema editione: nam priori cum vacaret, vulgari errore abreptus, *vt idem* vitioſum eſſe, nondum obſeruauerat. Nihilo tamen minus Gronouius, Graeuius et Verburgius in Cicerone *idem* maluerunt legere, quam recte monenti Lambino auſcultare. Adeo multa, quae aperte ſunt deprauata, nouis ſubinde editionibus, quibus plurimum ſtudii operaque credas impenſum, latius vulgantur.

XVIII.

Gerundium in DVM deſinens nominatiuum rei recipere, quibus rationibus ſibi perſuaſerit Vechnero, in ſua hellenolexia lib. I. part II. c. 33. p. 373. hoc adfirmans, parum mihi exploratum eſt. Is certe tum eo, quo dixi loco, tum etiam in indice eiusdem libri, recte exiſtimauit dici, *dolus praeſtandum eſt, culpa praeſtandum eſt.* Etſi vero ſatis eum refutaui in emendationibus meis ad eundem locum, et in addendis maxime, quae extremo libro haerent: non habui tamen, cum librum ederem, quid de Pauli, iurisconſulti, teſtimonio dicerem, quod his verbis adſcripſit Vechnerus: *Idem dolus et culpa in eo, quod ex antegeſto pendet, tam ab herede, quam heredi praeſtandum eſt.* Neque enim in Pandectarum opere ſedulo inquirenti mihi occurrebat. Po-

ſtea

ſtea vero aliud agenti forte is ſe obtulit L. LXV. n. 9. D. pro ſocio: vbi totidem verbis, atque a Vechnero relatus fuerat, legitur. Sed et Budaeum adnot. prior. ad Pandectas, pag. 397. mendum vidiſſe comperio, cuius haec eſt adnotatio. *Si praeſtandum legas, dolum et culpam quoque, neceſſe eſt, vt legas, conſtructione Graeca. Virgilius libro undecimo Aeneidos: Alia arma Latinis quaerenda, aut pacem Troiano ab rege petendum eſt. Quod Seruius adnotauit. Si dolus et culpa legatur, praeſtanda ſunt, legendum erit, ſchemate tam Latinis, quam Graecis, vſitato. Liuius: Magna res in principio ſtatim belli, Chalcis et Euripus ademta regi forent. Idem: Formiis portam murumque de coelo tacta nuntiabatur.* Haec ille. Iure itaque ſuſpectum locum habui, et Latine dici negaui, *dolus et culpa praeſtandum eſt*: nec adhuc ſcio, cui alii grammaticorum in mentem venerit, hoc loquendi genus vel probare, vel excuſare. Ea, quae a me dicta ſunt, ex veterum numero confirmat etiam Priſcianus lib. XVIII. pag. 1188. ex recentioribus auctor nouae methodi diſc. lingu. Lat. pag. 530.

XVIIII.

Sed iam ſatis diu, ac diutius etiam fortaſſe, quam ſatis erat, minutis his obſeruationibus immoratus eſſe videor, quas, multos eſſe ſcio, qui leues et ſcriptione vix dignas iudicent. Nihilo tamen minus, iis certe non diſplicituram hanc curam meam, confido, qui incorruptae Latinitatis amatores cultoreſque ſunt, ac vindices. His ſi ſubſeciua haec opera mea non erit faſtidita, ſatis recte eam collocatam putabo, qui non iiſdem omnes delectari ſcio. Eosdem tamen rogatos volo, ſi in nonnullis a publica grammaticorum opinione diſſenſero, ne nouandi ſtudio deditum, aut meorum ita amantem me eſſe fingant, vt meliora et certiora adferentibus cedere neſciam. Contra ea illud etiam mihi

credant velim, non aliam ob cauſam de nonnullis a me dubitatum fuiſſe, quam vt communia aliorum ſtudia prouocarem, et de iis, quae vulgo adfirmantur magis, quam probantur, diſpiciendi deliberandique locum darem iis, quibus plus me otii eſt. Horum induſtria ſi in reperiendis iis, quae me fugerunt, erit felicior: non modo nihil a me inuidiae metuendum, ſed et certa gratia parata erit non inhumane nec contumelioſe monentibus. Ceterum, ſi non omnia pari ſtudio a me videbuntur elaborata, quae occupatiſſimus ſcripſi: non curam mihi, ſed tempus defuiſſe, meminerint, quibus ſcholaſticae vitae conditio non plane eſt ignota.

III.

DE

STVDIO LATINITATIS PVRAE ET ELEGANTIORIS DILIGENTIVS QVAM VVLGO FIT IVVENTVTI SCHOLASTICAE COMMENDANDO

DISSERTATIO

M. FRIDERICI CHRIST. BAVMEISTERI

AVGVSTI GYMNASII GORLIC. RECTORIS.

BArbarus ſit, oportet, parumque habeat ſalis, cui vel ſordeant prorſus politioris humanitatis ſtudia, vel eo certe, qui non ſummus eſt, loco reponenda videantur. Quum enim cetera, quae ſunt, ſtudiorum genera proſint magis, quam delectant, plusque iuuent, quam ornant; in hoc vel maxime reliquis ſcientiis ac diſciplinis antecellunt, quae ab humanitate acceperunt nomen, litterae, vt, quantum proſunt, tantum oblectent, tantumque ſui cultores ornent, quantum iuuant. His itaque, tam frugiferis, tam praeſtantibus, tam amabilibus denique ac iucundis, litteris, nemo eſt paullo liberalioris ingenii, quin exiſtimet, vt ab optimo quoque, ita a tenera in primis iuuentute, tempus omne, omnemque operam eſſe tribuendam. Quod ſi etiam illud addimus, quod recte addi poteſt, nihil eſſe, quod Patronorum gratiam noſtra aetate tam alliciat, et tam attrahat, quam elegantiorum ſtudia litterarum; concedetur profecto, tantum a iuuenibus, ſuae non prodigis fortunae, impendendum iis eſſe operae, quantum, in diligenti eorumdem cultura, ad futuram felicitatem, poſitum eſt momentum. Quam ob rem iis omnibus, quibus iuuenum animi limandi perpoliendique traditi ſunt, in eo, omni cura, et, quanto fieri poteſt maximo, ſtudio, elaborandum eſt, vt, poſthabitis rebus omnibus, eas potiſſimum artes, quae pertinent ad humanitatem, doceant, vrgeant, commendent, et, quicquid denique habent virium, ad eas ornandas, amplificandasque, conferant.

Ex quo efficitur, latinae linguae, quam, ſcimus, in cultiori litteratura principatum tenere, praecipuam dari debere operam. In qua quidem, rectius addiſcenda, quod ponitur, ſtudii quamuis nec poſſit ſuppudere quemquam, nec vllum vmquam, quod ſciam, poenituerit, ſatis tamen, ſatis nunc, ſi quid video, reperiſſe mihi videor cauſſarum, cur de inſolentiori latinitatis contemtu, vt nunc ſunt tempora, vehementius conquerar. Quae fati, neſcio cuius, iniquioris certe, perpetua, in omnibus fere rebus, lex eſſe dicitur, vt, ad ſummum propemodum euectae gradum, velocius, quam aſcenderant, ruant in peius, et, vt poëta ait, retro ſublapſae ferantur; eam, vt in reliquis bonarum artium

ſtudiis, ita in primis in linguae latinae caſtitate ac nitore obtinere locum, dudum obſeruarunt eruditiores. Fuit, quando latinam linguam, tamquam integrae ſanctimoniae, ſanctaeque integritatis virginem, doctiſſimi quique ac politiſſimi viri cuſtodiendam arbitrabantur. Fuit, quando res litteratorum publica, non dicam Tulliis, Liuiis, Iuliis, Virgiliis, Catullis, Tibullis, Propertiis, Horatiis, Ouidiis, ſcriptoribus elegantiſſimis, ſed Manutiis, Politianis, Alciatis, Perottis, Vallis, Peleariis, Robortellis, Sigoniis, Muretis, Bembis, Eraſmis, Longoliis, Scaligeris, Salmaſiis, Camerariis, Caſeliis, Graeuiis, Cellariis, Schurtzfleiſchiis, aliis caſtae et elegantioris latinitatis vindicibus, mirifice gloriabatur. At deſcitum nunc fere eſt a priſca illa linguae latinae integritate, et, ſi dicendum, quod res eſt, elegantioris ac purioris latinitatis ſtudioſi, noſtra quidem aetate, ita raro exſiſtunt, vt, ſi quando reperiantur, portenti ac prodigii ſimiles numerentur. Videas, ipſos illos, qui cogitant acutius, quique exquiſitae fama laudeque eruditionis percelebrantur, eo ſaepe numero vti dicendi genere, quod teretibus, nec dum collecta ſorde dolentibus, auribus odioſum eſt et permoleſtum, horridiori profecto, quam liberalis hominem cultus, et inquinatiori, quam vere eleganterque eruditum in lucem conſpectumque proferre aequum eſt. Videas, tertia quaque voce proferri barbariſmum, nihilque a compluribus, vel ſcribi, vel dici, quin, quod, vt ſcopulum, vitari vult CAESAR, inſolens verbum, in omnibus fere loquendi formulis, adhibeatur, vitio orationis, cui ſtribliginis primum, poſt ſoloecismi nomen indiderunt veteres, identidem admiſſo. Quin etiam perplures ſcholarum magiſtri, quorum erat, iuuentutem ad humanitatem inſtruere, ſimulque linguae et morum oppugnare barbariem et profligare, non modo non prouident, ne quid lingua latina impuri, ne quid habeat contaminati, verum ipſi quoque, incomto barbaroque dicendi genere vſi, non obſcure produnt, parum ſuainteresſe, antiquae et purae eloquentiae ſtudia in ſcholas poſtliminio reuocari, reddique tandem litteris latinis decus ſuum et pretium.

Cogitanti vero mihi, quid ſit, quod ſolutior illa minus emendate ſcribendi dicendique licentia non in philoſophorum modo, Theologorum, et ICtorum exedris aeque ac ſcriptis do-

minetur, ſed, latius euagata, ſcholarum quoque inuaſerit atria, cum aliae plures ſuccurrunt cauſſae, tum vero praecipue inueterata multis, iisque non indoctis, imponere videtur opinio, qua ſibi perſuadent, ſatis bene dici, dummodo ea, quae intelligentia animoque fuerimus complexi, ſatis perſpicue ſignificentur. Atque hi fere ſunt, qui, quum, iuuenes et adhuc pueri, in rudes puriorisque ſtili Romani prorſus ignaros, inciderint praeceptores, veram regulam rationemque veram, ad quam omnis exigi debet et exquiri latinitas, numquam addidicerunt. Quo fit, vt, quam ipſi pure incorrupteque commentandi facultatem non ſunt aſſecuti, ad eam, quos erudiunt, diſcipulos itidem non peruenire malint, quam aetatis confiteri errorem, et deſtinare rectiora.

Ex his omnibus, opinor, intelligi poteſt, quanti eam docendi rationem aeſtimari oporteat, qua idonei latinitatis magiſtri iuuenes, ſuae concreditos fidei, ad vetuſtos, puriſſimeque manantes eloquentiae fontes deducunt, et, monſtrata ad ſtili Romani venuſtatem munditiemque via, omnem barbariem, omnem eloquentiae meretricium cultum, omnesque omnino, quae lutulenti quid habent, et a veterum diſcedunt norma, ſtili corruptelas ex ſcholis et circulis ſuis proſcribendas arbitrantur.

Adeant, quicunque volent, coeno permiſtas, lacunas, paſcantur, quas tantopere amant, ſordibus, et, quod aiunt, pro nuce veſcantur glande; nos certe, veteris elegantiae cupidi, puriorisque ſtudioſi latinitatis, numquam committendum putabimus, vt Schola Gorlicenſis, prouida cultioris doctrinae parens, cuſtosque ac nutrix, emendatae ac purae eloquentiae gloria orbetur. Quicquid in Gymnaſio noſtro agimus, quicquid molimur, id omne cum primis eo pertinet, vt, priſca linguae latinae integritate ſolicite conſeruata, cum recte cogitandi, pieque viuendi, cura noſtri coniungant incorruptam pure dicendi ſcribendique rationem. Cui quidem rei obtinendae omnia noſtri Gymnaſii inſtituta ita ſunt accommodata, vt, qui vult, volet autem optimus quisque, quaeuis cuiusuis generis argumenta, ſtilo puro ac terſo effingendi artem, perquam facili negotio, addiſcere queat. Non enim praecepta modo et doctrinas, quibus iuuenum mores dirigi debent et conformari, cumulatiſſime ſuppeditamus quotidie; verum etiam optimi cuiusque, et eruditionis cupidiſſimi, adoleſcentis rationem et orationem ita fingi refingique volumus, vt per aſſiduam exercitationem diſcant noſtri, in inuentione eſſe perſpicaces, in diſpoſitione prudentes, in elocutione limati, in ornamentis copioſi, et in affectionibus animi commouendis graues et circumſpecti.

IIII.

AD
IOANN. VORSTII LIBELLVM
DE
LATINITATE SELECTA
VVLGO VERO NEGLECTA
SPICILEGIVM
CVM
ILLVSTRI
SOCIETATE LATINA
QVAE IENAE FLORET
OFFICII GRATIQVE ANIMI TESTANDI
CAVSA
COMMVNICATVM
A
M. CAROLO HENRICO LANGIO
GYMNAS. LVBEC. SVBRECTORE BIBLIOTHEC. PVBL.
PRAEFECTO SOCIET. TEVT. LIPS. COLLEGA ET LAT.
IENENSIS MEMBRO HONORARIO.

ILLVSTRIS

SOCIETATIS LATINAE

QVAE IENAE FLORET

PRAESIDI, DIRECTORI, EPHORO

SINGVLISQVE ILLIVS MEMBRIS

NOBILISSIMIS

FAVTORIBVS SVMMOPERE COLENDIS

S. P. D.

CAROLVS HENRICVS LANGIVS.

Magno me nuper, viri, illvstrissime, excellentissimi, nobilissimiqve! honore adfeciſtis, vbi ad societatem veſtram mihi aperuiſtis vltro aditum, locumque in collegio vestro perhonorificum conceſſiſtis. quo teſtimonio ſi moueri me negem, facerem, quod multi ſolent, qui publica de ſe negligentes iudicia, obſcuram ſplendidae luci diligentiam praeferunt; ſed certè mentiar. quodſi enim, quae a laudatis profici-

ficiſcitur viris, ea demum vera laus eſt: eo maiori fas eſt animum gaudii ſenſu perfundi, quo digniore loco conſtituti ſunt, qui publicum aliquod de ſtudiis noſtris iudicium ferunt. at enim vero, quum ex viris elegantiorum litterarum callentiſſimis COLLEGIVM VESTRVM coaluerit; inſtitutumque hoc ita ſe ſummis harum diſciplinarum commendauerit ſtatoribus, vt ad VESTRVM accedere conſortium ipſimet non recuſarint: quis VESTRA vituperare iudicia, ſententiamque a VOBIS, tamquam legitimis artis VESTRAE iudicibus, prolatam negligere ſuſtinuerit? ego igitur mihi de hoc ad muſarum penetralia propiore acceſſu vere gratulor, atque ex iſthac conſortione multa, quae litteras meas, quae aliorum amplificare queant doctrinas, certiſſime polliceor. ANIMO iam latii de barbarie victoriam praecipio. fugam capeſſent, qui romanorum adhuc inſidiati ſunt linguae. imperatores adſunt ſapientiſſimi, tribuni militum vigilantiſſimi, primipili exercitatiſſimi, acies firma et conſtans, vt, ſub eorum militare ſignis, fugam promittat ſtragemque hoſtium certiſſimam. ſed planius dicam. VESTRO ducti exemplo, maiorem in romanorum lingua ponent induſtriam viri eruditiſſimi; incitabuntur adoleſcentes ad mores eruditorum imitandos; mouebuntur iuuenes, vt maiori cura et ſtudio ad eas incumbant litteras, quibus et in ſcholis academicis dignum ſtatui pretium, vident. dici enim non poteſt, quantum et in noſtris ſubſelliis adcuratiorem humanitatis doctrinam impediat peſtilens illa, et ſatis eheu! peruulgata opinio, eas artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet, cum ipſis pueritiae annis euaneſcere, neque vllam habere in diſciplinis, quas lucroſas di-

cunt, vtilitatem. quo in iudicio quum a nonnullis doctoribus academicis, quibus nulla eſt cum amoenioribus muſis familiaritas, temere confirmantur, ad hoſtes illico transeunt, et cum barbaris atque blaeſis balbutire, quam cum CICERONE, CAESARE, NEPOTE, loqui, malunt. horum igitur inſcitiae dicam, an temeritati? melius iri obuiam et tutius nequit, quam ſi eius generis conſtituantur ſocietates, in quibus viri eruditi, et auctoritate quadam inſignes, pereuntibus, quantum quidem fieri poteſt, occurrunt litteris, lapſumque illarum, imminentem dudum, impediunt. ſic itali, ſic galli, ſic noſtri adeo ciues, ſuae linguae decus et ornamentum, mirum quantum, euexerunt, domeſticaeque barbariei, latius ſerpenti, praeciderunt venas. nullus ſane dubito, quin ILLVSTRE hoc VESTRVM COLLEGIVM aliis quoque futurum ſit academiis exemplo, vt, quotquot ſuperſunt in iis viri, quibus romanae linguae ſanus color curae eſt, ſuo adoleſcentibus exemplo viam, quae ducit ad latium, non monſtrent ſolum, ſed difficultates quoque itineris ſalebroſas ſuis conſiliis explanent. ego ſaltim, quantum in meis poſitum eſt viribus, qualescumque demum ſint, nihil intermittam, quod ad ornandas noſtras litteras videatur pertinere. VESTRVM enim VIRI, ILLVSTRISSIME, EXCELLENTISSIMI, NOBILISSIMI, arbitrium et nutus, quo me adiungere VOBIS voluiſtis, nouum mihi addit calcar, vt iis ſtudiis, quibuscum muneris ratio me ſociauit, repetitis curis, alacriorique animo vacem. atque vt re ipſa, quam gratum mihi fuerit de meis litteris iudicium VESTRVM, oſtendam: communicare VOBISCVM praeſens SPICILEGIVM, poſt vberrimam celeberrimi VORSTII meſſem,

ſem, in animum induxi. ſcholarum enim plerarumque ratio facit, vt praeter CICERONIS *orationes* et *epiſtolas*, NEPOTIS, aut CVRTII, vel IVSTINI ſcripta, parum aut nihil veterum videant, audiant, legant, iuuenes. inde fit, vt linguae paupertas, vbi ad alia ventum eſt, ſe vbique prodat; vocesque non tantum optimae prorſus ignorentur, ſed ſignificatus etiam notiſſimarum vocum, vel peruertantur plane, vel reliqui vſus prorſus maneant ignoti. ſane qui ſcripta CICERONIS philoſophica luſtraret curatius, multa, quae in recentiorum ſcriptis philoſophorum barbare exprimuntur, enuntiari poſſe ornatius, quod docuit elegantiſſimus ERNESTI, praeclare diſceret. docebit ſubiectum huic praefationi SPICILEGIVM, quod maximam partem, ex repetita horum librorum lectione exaratum eſt, quam multa in iis occurrant ad augendúm romanae linguae cultum perquam proficua. vſus ſum in hoc opuſculo conficiendo CICERONE, nuper a clariſſimo ERNESTI edito, ad quem, quae produxi, retuli loca omnia. plures id genus obſeruationes, a me dari potuiſſe, non nego equidem; ſunt etiam in aduerſariis meis non paucae; ſed praeſentis ratio ſcriptionis ampliora non permittit. haec itaque, iuuentutis cum primis ergo conſcripta, vt aequi bonique conſulatis, habeatisque in officii VOBIS debiti teſtimonium, eo, quo par eſt, cultu, rogo. dabam LVBECAE a. d. VIII. IANVAR. A. O. R. CIϽ IϽCC XXXVIIII.

SPI-

SPICILEGIVM AD VORSTII LIBELLVM DE LATINITATE SELECTA VVLGO VERO NEGLECTA

AD PARTIS I.

CAPVT I.

DE QVORVMDAM SVBSTANTIVORVM SIGNIFICATIONIBVS, QVAE VVLGO FERE NON OBSERVANTVR.

§. I.

ABERRATIO quid ſit in malam partem, non ignoratur noſtris hominibus, ſed quotus quisque in bonam partem adhibet? ita tamen libenter CICERO ad ATTIC. *XII.* 38. *p.* 832. credo, ſi modo homines ſint, exiſtiment me, ſiue ita leuatus ſim, vt animum vacuum *ad res* difficiles ſcribendas adferam, reprehendendum non eſſe; ſiue hanc *aberrationem a dolore* delegerim, quae maxime liberaliſſima, doctoque homine digniſſima, laudari me etiam oportere. eodem ſenſu *XV.* 18. *p.* 457. *ad diuerſ.* ridere igitur, inquies, poſſumus, non me hercule facillime. verum tamen aliam *aberrationem a moleſtiis* nullam habemus.

§. II.

ACERBITAS varias habet notiones, quae in vſu ſunt pleraeque, minus tamen ea frequentatur, qua vtitur CICERO ad *diu. VI.* 1. *p.* 138. pro *luctu.* nam, *inquit*, etſi, quocumque in loco quisquis eſt, idem eſt ei ſenſus, et eadem *acerbitas* ex interitu rerum et publicarum, et ſuarum: tamen oculi augent dolorem, qui ea, quae ceteri audiunt, intueri coguntur, ſic et *acerbum* eodem ſenſu *pro domo ſua XVI. p.* 932.

§. III.

ADIVMENTVM eſt *auxilium*, et hoc in vulgus notum: ſed obſeruari meretur et diligentius adhiberi, in *re medica* ſignificatio, quae a lexicographis negligitur. ita CICERO *Tuſcul.IV.* 27. *p.* 410. eſt enim quaedam medicina certe: nec tam fuit hominum generi infenſa atque inimica natura, vt corporibus tot res ſalutares, animis nullam inuenerit. de quibus hoc etiam eſt merita melius, quod corporum *adiumenta* adhibentur extrinſecus, animorum ſalus incluſa in his ipſis eſt.

§. IIII.

CARMEN pro *verſu* et *incantatione* ſatis celebratum. vix vero, ac ne vix quidem de *canto muſico* tibiarum vel fidium, quem melodiam vulgo dicunt. ita tamen veteres ſaepiſſime. CICERO *acad. quaeſt. IV.* 27. *p.* 59. pictor videt, quae nos non videmus, et, ſimul inflauit tibicen, a perito *carmen* agnoſcitur, HORAT. *epod. IX.*

Quando repoſtum caecubum ad feſtas dapes,
victore laetus caeſare,
TEcum ſub alta, ſic IOVI gratum, domo,
beate MAECENAS bibam,
ſonante mixtum tibiis CARMEN lyra,
hac dorium, illis barbarum.

§. V.

CELEBRITAS pro *frequentia* antiquis notio vſitatiſſima, ſed hodie fere obſoleta. ſed conſule CICERONEM noſtrum *Tuſc. V.* 3. *p.* 425. PYTHAGORAM autem reſpondiſſe, ſimilem ſibi videri vitam hominum, et mercatum eum, qui haberetur, maximo ludorum adparatu, totius graeciae *celebritate*. ad *ATTICVM XII.* 37. *p.* 831. ſed neſcio, quo pacto *celebritatem* requiro. itaque hortos mihi conficias, neceſſe eſt. maxima eſt in *SCAPVLAE celebritas*, III. 7. 559. odi enim *celebritatem*, fugio homines, lucem adſpicere vix poſſum. adde III. 19. 571.

§. VI.

COMMENTATIO plerumque pro *expoſitione loci* ali-

alicuius adhibetur: ſed notandus etiam et in vſum reuocandus is eſt ſignificatus vocis, quo vtitur pro *meditatione*, vel *cogitatione* CICERO *Tuſc. I.* 30. *p.* 299. tota enim philoſophorum vita, vt ait idem, *commentatio* mortis eſt. et *III.* 16. *p.* 365. nihil eſt enim, quod tam obtundat, eleuetque aegritudinem, quam perpetua in omni vita *COGITATIO*, nihil eſſe, quod accidere non poſſit; quam *MEDITATIO* conditionis humanae; quam vitae lex *commentatioque* parendi.

§. VII.

CONSCIENTIA *animi*, pro eo, quod noſtri *das Gewiſſen* dicunt, ignorari a noſtris plerumque videas, qui, quod veteres *conſcientiam recte*, aut *malefactorum* nominabant, *conſcientiam bonam*, vel *malam* dicunt. eleganter TVLLIVS *de finibus bon. II.* 16. 137. ſunt enim leuia et perinfirma, quae dicebantur a te, quum *animi conſcientia* improbos excruciari, tum etiam poenae timore. item *II.* 17. 137. primum qui *animi conſcientiam* non curet: quam ſcilicet comprimere nihil eſt negotii. aeque minus cognita eſt illa vocis notio, quum pro *hominum ſcientia* aut *notitia* adhibetur, ſic tamen CICERO *de finibus bon. I.* 9. 128. vt *hominum conſcientia remota*, (*wenn es nur die Leute nicht wiſſen*) nihil tam turpe ſit, quod voluptatis cauſa non ſit facturus.

§. VIII.

CONSEQVENS, quod *concluditur ex aliqua re.* veteres cum tertio caſu coniungebant, quod ſecus fit hodie a plerisque. audi CICERONEM *Tuſc. V.* 7. 429. hoc probato *conſequens* eſſe, beatam vitam virtute eſſe contentam, et quomodo hoc ſit *conſequens illi*, ſic illud huic, vt, ſi beata vita virtute contenta ſit, niſi honeſtum quod ſit, nihil aliud ſit bonum. item *V.* 8. 429. ego enim adſentior eorum, quae poſuiſti, *alterum alteri conſequens* eſſe. et *V.* 44. 446. ex quo triplex ille animi foetus exiſtit. - - - tertius in iudicando, quia *cuique rei ſit conſequens*, quid repugnans.

§. VIIII.

DECRETVM, δόγμα philoſophorum, vix vsquam, praeterquam apud antiquos inueni, qui, graecam vocem a latino

tino ſeiungentes ſermone, *decretum* induxerunt. ita ſane CICERO *acad. quaeſt. IV.* 9. 35. ipſa autem philoſophia, quae rationibus progredi debet, quem habebit exitum? ſapientiae vero quid futurum eſt? quae neque de ſe ipſa dubitare debet, neque de ſuis *decretis*, quae philoſophi vocant δόγματα: quorum nullum ſine ſcelere prodi poterit. *de finibus bon. I.* 9. 128. eſt enim tanti philoſophi, tamque nobilis, audacter ſua *decreta* defendere. it. II. 31. p. 154. huc et illud *TORQVATE*, vos verſetis licet: nihil in hac praeclara epiſtola ſcriptum ab *EPICVRO* congruens, et conueniens *decretis* eius reperietis.

§. X.

DEFECTIO *ſolis, lunae, virium, animi,* quamquam a plerisque non adtendatur, humanitatis tamen ſtudioſi ſolent ex veteribus obſeruare, et in imitationem trahere: at vero ne in FABRI quidem *theſauro* illa occurrit notio, qua *diſceſſum a magiſtri doctrina* ſignificat, reuocanda igitur et ad CICERONIS modum adplicanda, qui *acad. quaeſt. I.* 12. 17. ita: Tunc VARRO, tuae ſunt nunc partes, inquit, qui ab antiquorum ratione nunc *DESCISCIS*, et ea, quae ab ARCESILA nouata ſunt, probas, docere, quod, et qua de cauſſa *DISCIDIVM* factum ſit; vt videamus, ſatis ne iſta ſit iuſta *defectio.*

§. XI.

DISCIPLINAE notiones variae diligenter explicatae ſunt in *theſauro* FABRI. abeſt tamen ea, quae *ſectam philoſophorum* indicat, copioſe vſurpatam CICERONI, cuius loca ideo plura dabimus. *in acad. quaeſt I.* 9. 14. nam *STRATO*, eius auditor, quamquam fuit acri ingenio, tamen ab ea *diſciplina* omnino ſemouendus eſt; et paulo poſt: ſed ZENO, cum ARCESILAM anteiret aetate, valdeque ſubtiliter diſſereret, et peracute moueretur: corrigere conatus eſt *diſciplinam.* nec non *acad. quaeſt. IV.* 3. 25. quod grauius ferremus, ſi quisquam vllam *diſciplinam* philoſophiae probaret, praeter eam, quam ipſe ſequeretur. *de finib. B. et M. III.* 3. 169. ceterae philoſophorum *diſciplinae* omnino alia magis alia; ſed tamen omnes, quae rem vllam virtutis expertem, aut in bonis, aut in malis nu-

numerent, eas non modo nihil adiuuare arbitror cet. *Tuſc. V.* 32. 454. omnes fere philoſophi omnium *diſciplinarum*, niſi quas a recta ratione natura vitioſa detorſiſſet, eodem hoc animo eſſe potuerunt.

§. XII.

ELEGANTIA non tantum *ſelectum*, *ornatum* ac *cultum* ſignificat, ſed *curam* quoque eamque *adcurationem*, quam galli *accurateſſe* vocant, quod a paucis obſeruatur. ſed videamus CICERONEM. ita vero *de fin. B. et M. II.* 9. 127. vitioſum enim eſt, *inquit*, in diuidendo, partem in genere numerare; ſed hoc ſane concedamus. contemnit enim *diſſerendi elegantiam*: confuſe loquitur. et paullo poſt: *quamquam* in hac diuiſione rem ipſam prorſus probo: *elegantiam* deſidero. quum enim *elegantiam* confuſioni opponat, quid ſibi velit CICERO, cuiuis patet. et *Tuſc. II.* 2. 323. ſed eos, ſi poſſumus, excitemus, qui liberaliter eruditi, adhibita etiam *diſſerendi elegantia* ratione et via philoſophantur.

§. XIII.

EMINENTIA, de *picturis* adhibita, *colores* ſignificat, qui ex vmbris eminent. noſtri *Licht* vocant. male in theſauro Fabriano *Licht und Schatten* exponitur. audi ipſum TVLLIVM *acad. quaeſt. IV.* 7. 32. quam multa vident pictores in vmbris et in *eminentia*, quae nos non videmus. vide, quam ſeparet TVLLIVS ab vmbris *eminentiam*! conſueta noſtris *praeſtantiae* ſignificatio nullis auctorum confirmata adhuc eſt teſtimoniis.

§. XIIII.

FAMILIAM dici et *ſeruorum coetum in vna domo*, *et genus*, notum eſt plerisque, et ſatis frequentatum. ſed non item peruulgatum, quod ad *philoſophorum ſectam* haec vox transferri ſoleat. CICERO *de diuin. II.* 1. 660. magnus locus, philoſophiaeque proprius, a PLATONE, ARISTOTELE, THEOPHRASTO, totaque peripateticorum *familia* tractatus vberrime. de *oratore I.* 16. 354. et, quum vniuerſi in te impetum feciſſent, tum ſingulae *familiae* litem tibi intenderent. ſic *III.* 16. 523. proſeminatae ſunt quaſi *familiae* diſſentientes in-

inter ſe, et multum diſiunctae, et diſpares, quum tamen omnes ſe philoſophi ſocraticos et dici vellent, et eſſe arbitrarentur.

§. XV.

HONESTAS non tantum *turpitudini* opponitur, quod ſatis vulgatum, ſed idem quoque eſt, quod *honor et dignitas.* CICERO ad diu. V. 8. 114. ego vero tibi profiteor atque polliceor eximium, et ſingulare meum ſtudium in omni genere officii, quod ad *honeſtatem* et gloriam tuam ſpectat. VII. 11. 180. remoto ioco, tibi hoc amiciſſimo animo praecipio, vt, ſi iſtic mea commendatione tuam dignitatem obtinebis, perferas noſtri deſiderium: *honeſtatem*, et facultates tuas augeas. *pro* RABIRIO *poſt. XVI. p.* 1287. amiciſſimum hominem ſi *honeſtate* ſpoliatum audierit: nec ſine magno dolore feret, nec id amiſerit, quod poſſe ſperet recuperari.

§. XVI.

HVMILITAS, varias ſortita eſt ſignificationes, quas vide in FABRI theſauro. ſed neglecta eſt, qua transfertur ad *locum ſtellis adſignandum.* ita vero CICERO *Tuſc. V.* 24. 447. ſeptem alia (*ſidera*) ſuos quaeque tenere curſus, multum inter ſe, aut *altitudine*, aut *humilitate* diſtantia, quorum vagi motus rata tamen, et certa ſui curſus ſpatia definiant. it. de *diuin. II.* 43. 692. docet enim ratio mathematicorum, quam iſtis notam eſſe oportebat, quanta *humilitate* luna feratur, terram paene contingens, quantum abſit a proxima MERCVRII ſtella cet.

§. XVII.

INITIVM pro *elementis* aut *fundamento* hodie plerisque ignoratur, quo tamen ſenſu ſatis celebratur CICERONI. pro *elementis* eſt *acad. quaeſt. I.* 11. 15. de naturis autem ſic ſentiebat, primum, vt in quatuor *initiis* rerum illis quintam hanc naturam, ex qua ſuperiores ſenſus et mentem effici rebantur, non adhiberet. et paullo ante I. 7. 12. ergo illa *initia*, et, vt e graeco vertam, *ELEMENTA*, dicuntur. *Tuſc. V.* 24. 447. inde eſt indagatio nata *initiorum*, et tanquam ſeminum, vnde eſſent omnia orta, generata, concreta. de *diuin. II.* 4. 663. quae ſint *initia* rerum, ex quibus naſcuntur omnia? ſed pro *principio* eſt *acad. quaeſt. IV.* 9. 36. etenim duo eſſe haec ma-

xima in philoſophia, iudicium veri, et finem bonorum, nec ſapientem poſſe eſſe, qui aut cognoſcendi eſſe *initium* ignoret, aut extremum expetendi, vt, aut vnde proficiſcatur, aut quo perueniendum ſit, neſciat.

§. XVIII.

INNOCENTIA, pro *ſtatu*, *culpa vacante*, omnibus nota vox: ſed reducenda quoque in vſum eſt ea ſignificatio, qua CICERO vtitur *Tuſc. III.* 8. 357. omnis enim abſtinentia, omnis *innocentia*, quae apud graecos vſitatum nomen nullum habet, ſed habere poteſt ἀβλάβειαν. nam eſt *innocentia*, adfectio talis animi, quae noceat nemini.

§. XVIIII.

INSCITIA *ignorantiam* denotat CICERONI, et hoc in vulgus notum. TERENTIO tamen plerumque *ſtultitia* eſt, quod a plerisque negligitur. dabimus loca, vt veritati ſuus conſtet honos EVN. *V.* 9. 41. verum idem ſi vobis prodeſt, vos non facere, *inſcitia* eſt. *heaut. IV.* I. 17. *O IVPITER* tantam eſſe in animo *inſcitiam. Phorm. I.* 2. 27. namque *inſcitia* eſt, aduerſus ſtimulum calces. crebrius igitur et hoc ſenſu vocem vſurpemus.

§. XX.

LAPSVS pro *ruina* notiſſima vox, etiam ſenſu translato pro *errato*. ſed de *volatu auium* haud temere quisquam hodie adhibet: TVLLIVS tamen ita praeiuit de N. D. II. 39. 545. qui volucrum *LAPSVS* atque cantus? qui pecudum paſtus? quae vita ſylueſtrium?

§. XXI.

LVX quam varias, easque praeſtantiſſimas habeat notiones, copioſe vides adnotatum in FABRI theſauro, ſed omiſſa tamen eſt *ſignificatio*, quae *perſpicuitatem* ſermonis indicat, digna quae adhibeatur frequentius. TVLLIVS *acad. quaeſt. IV.* 15. 43. aduerſatur enim primum, quod parum defigunt animos, et intendunt in eo, quae perſpicua ſunt, vt, *quanta luce* ea circumfuſa ſunt, poſſint agnoſcere. de N. D. I. 3. 470. multis etiam ſenſi mirabile videri, eam nobis potiſſimum probatam eſſe philoſophiam, quae *lucem* eriperet, et quaſi noctem quam-

dam

dam rebus offunderet. *tr. I.* 5. 472. non enim hominum interitu ſententiae quoque occidunt: ſed *lucem* auctoris forte deſiderant.

§. XXII.

MISSIO, *liberatio ex vinculis vel dimiſſio*: rarior ſignificatus et a pauciſſimis obſeruatus, vſu tamen frequentandus. CICERO *Tuſc. I.* 48. 316. adfertur etiam de SILENO fabella quaedam; qui cum a MIDA captus eſſet, hoc ei muneris pro ſua *miſſione* dediſſe ſcribitur.

§. XXIII.

ORATOR quod *dicendi peritum, legatum, et eloquentiae magiſtrum* ſignificet, plerique obſeruant, quod vero et *cauſſarum patronum* aut *defenſorem* denotet, plerumque certe ignoratur, ſaltim non adtenditur: quum tamen orationes, quas habuit CICERO, fere omnes aut *actiones* contineant, aut *defenſiones*. ita etiam TERENTIVS. *heaut. prol.* 11. *ſeqq.*

ORATOREM voluit eſſe me, non prologum:
veſtrum iudicium fecit: me ACTOREM dedit.
ſed hic ACTOR tantum poterit a facundia,
quantum ille potuit cogitare commode,
qui ORATIONEM hanc ſcripſit, quam dicturus ſum.

peſſime interpretatus eſt hunc locum NICOLAVS CAMVS, EVGRAPHIVM ſequutus, quem vide *p. m.* 150. *actor* enim heic idem eſt, qui *orator*, (quo ſenſu CICERO adhibet in VERREM *V.* 70. 474. *et IV.* 31. p. 377.) et populus iudex, coram quo cauſſam actor agebat. ex hoc reliqua exponenda ſunt.

§. XXIIII.

PARS eleganter ponitur pro eo, quod philoſophi recentiores *generum ſpecies* vocant, neque tamen in FABRI theſauro, vbi plurimae notiones copioſe producuntur, hoc adnotatum eſt. ita vero CICERO de *finibus B. et M. II.* 9. 127. vitioſum enim eſt in diuidendo, PARTEM in GENERE numerare. *Tuſc. V.* 25. 447. hinc illa cognitio virtutis exiſtit: efflorefcunt *genera parteſque* virtutum. *Tuſc. IV.* 7. 393. ſed ſingulis perturbationibus PARTES *eiusdem generis* plures ſubiiciuntur. praeclariſſimus vero locus eſt TVLLII *de inuent. I.*

 22.

22. 247. nam *genus eſt*, quod plures *partes* amplectitur, vt animal. *pars* eſt, quae ſubeſt *generi*, vt equus. ſed ſaepe eadem res alii *genus*, alii *pars* eſt. nam homo animalis *pars* eſt; thebani aut troiani *genus*.

§. XXV.

VOLVNTAS CICERONI ſaepiſſime *beneuolentiam* ſignificat; quo ſenſu rarius in recentiorum ſcriptis occurrit. producemus loca, quae omnem tollant dubitationem. ad *diuerſ.* I. 2. 3. eo die nos quoque multa verba fecimus, maximeque viſi ſumus ſenatum commemoratione *tuae voluntatis* erga illum ordinem commouere. XIII. 45. 398. nam de tua erga me *voluntate* non dubitat. ad ATT. III. 7. 559. quod me rogas et hortaris, vt apud te in Epiro ſim, *voluntas tua* mihi valde grata eſt, et minime noua: ſed et *conſilium* mihi quidem optatum, ſi liceret ibi omne tempus conſumere. de *fin.* B. et M. III. 2. 168. LVCVLLVS mihi verſatur ante oculos, vir cum omnibus excellens, tum mecum et amicitia et omni *voluntati* ſententiaque coniunctus. ad ATT. I. 4. 492. nos hic incredibili ac ſingulari populi *voluntate* de C. MARCO tranſegimus.

AD
CAPVT II.
DE
NOMINVM QVORVMDAM ADIECTIVORVM SIGNIFICATIONIBVS, ATQVE VSIBVS VVLGO NEGLECTIS.

§. I.

BONVS in aliis eſt, qui *fide dignus*, *et auctoribus* tribuitur, quod neglectum hodie, imitandum frequentius videtur. Sic CICERO *ad ATT.* XII. 5. 811. ego tamen de BONO AVCTORE HORTENSIO ſic acceperam, vt apud BRVTVM eſt: hunc igitur locum expedies. item *Tuſc.* V. 20. 442. atque de hoc homine a BONIS AVCTORIBVS, ſic ſcriptum accepimus, ſummam fuiſſe eius in victu temperantiam. de offi-

officiis III. 32. 928. nam POLYBIVS, *bonus auctor* in primis, ſcribit cet. in VERREM. IIII. 45. 390. at ex *viro bono*, audieras, credo, et BONO AVCTORE.

§. II.

CONTENTVS et INCONTENTVS pro eo quod eſt *ſuis rebus contentum viuere*, nulli hodie ignotum: ſed de *fidibus aliisque rebus, quae intenduntur et remittuntur*, ſatis infrequens. *ita* TVLLIVS tamen de *finibus B. et M.* IIII. 27. 224. vt in *fidibus* plurimis, ſi nulla earum ita CONTENTA numeris ſit, vt concentum ſeruare poſſit, omnes aeque *INCONTENTAE* ſint: ſic peccata, quia diſcrepant, aeque diſcrepant: paria ſunt igitur. hic ambiguo ludimur. aeque enim contingit omnibus *fidibus*, vt *incontentae* ſint: illud non continuo, vt aeque *incontentae*. ſic *Tuſcul.* II. 24. 344. vt enim baliſtae lapidum, et reliqua tormenta telorum eo grauiores emiſſiones habent, quo ſunt *contenta* atque adducta *vehementius*: ſic vox, ſic curſus, ſic plaga, hoc grauior, quo eſt miſſa *contentius*. et paullo ante II. 23. 343. vt onera *contentis* corporibus facilius feruntur, *remiſſis* opprimunt: ſimillime animus *intentione* ſua depellit preſſum omnem ponderum, *remiſſione* autem ſic vrgetur, vt ſe nequeat extollere.

§. III.

FLATVS, praeter ea, quae notata vides in lexicis, eleganter dicitur CICERONI *incitatus*, quod noſtris inconſuetum fere auribus eſt: ſed vſu terendum. de N. D. I. 20. 486. ſed *elatus* ſtudio, vereor, ne longior fuerim. de *diuin. I.* 24. 625. tum ei ducem illum praecepiſſe, ne reſpiceret; illum autem id diutius facere non potuiſſe, *elatumque cupiditate* reſpexiſſe. it. de *officiis* I. 29. 839. ludendi etiam et quidam modus retinendus, ne nimis omnia profundamus, *elatique voluptate* in aliquam turpitudinem delabamur.

§. IIII.

GLORIOSVM *praeclarum* eſt, et in *laude* ponitur, tum etiam in *vitio* vt *miles glorioſus*. ſed haec ſatis nota et aliis obſeruata, rarius eſt, quod et hominem, qui *gloriae*, vel *laudis cupidus* eſt, deſignet, vt apud CICERONEM *Tuſc.* III.

 30.

30. 380. qui ſuos caſus aliter ferunt, atque vt auctores aliis ipſi fuerunt, non ſunt vitioſiores, quam fuere plerique, qui auari auaros, *gloriae cupidos glorioſi* reprehendunt: eſt enim proprium ſtultitiae, aliorum vitia cernere, obliuiſci ſuorum.

§. V.

ILLVSTRIS, quod *clarus, nobilis, magnificus* ſit, peruagatum eſt et cognitum: verum de *perſpicuitate* dici *illuſtre* quis in noſtris videat ſcriptis? comprobemus rem exemplis, vt notiorem reddamus. *acad. quaeſt.* IV. 29. 62. ſed negas te vsque ad *obſcura* progredi; *illuſtribus* ergo rebus inſiſtis. et paullo poſt: etiam a certis et *illuſtrioribus* cohibes adſenſum; hoc idem me in *obſcuris* facere non ſinis. de *finibus B. et M.* I. 21. 113. quapropter ſi ea, quae dixi, ſole ipſo *illuſtriora*, et clariora ſunt; cet. ſic II. 5. 122. EPICVRVS autem, vt opinor, nec non vult, ſi poſſit, *plane* et *aperte* loqui, nec de re *obſcura* vt phyſici, aut artificioſa vt mathematici, ſed de *illuſtri et facili*; etiam in vulgus peruulgata, loquitur.

§. VI.

SECVNDVS pro *fauente* et *beneuolo* quis hodie vſurpat? quum tamen CICERONI ſatis familiaris ſit ſignificatio. ita *quaeſt. Tuſc.* II. 1. 32e. eſt enim, *inquit*, philoſophia paucis contenta iudicibus, multitudinem conſulto ipſa fugiens, eique ipſi et ſuſpecta et inuiſa: vt vel, ſi quis vniuerſam velit vituperare, *ſecundo id populo* facere poſſit. nec non in *orat.* II. *contra* RVLLVM 37. 686. quis enim vmquam tam *ſecunda concione* legem agrariam ſuaſit, quam ego disſuaſi? ad ATTICVM I. 19. 518. ex hac ego lege, *ſecunda concionis voluntate* omnia tollebam, quae ad priuatorum incommodum pertinebant.

AD

AD CAPVT V. DE

QVORVMDAM VERBORVM SIGNIFICATIONIBVS ATQVE VSIBVS VVLGO NEGLECTIS.

§. I.

AGERE praeter copioſas iſtas notiones, quas adnotatas videmus in FABRI *theſauro*, ea eſt rarior, qua vtitur CICERO pro *ponere*, de *finibus B. et M.* 24. 258. qui enim ſic disputant, obliti mihi videntur, quae ipſi *egerint principia naturae*.

§. II.

DARE interdum eſt, quod *promittere*. CICERO ad *diuerſ.* I. 1. p. 2. MARCELLINVM tibi eſſe iratum ſcis. is hac regia cauſſa excepta, ceteris in rebus ſe acerrimum tui defenſorem fore *oſtendit. quod dat*, accipimus. ſed aeque negligitur atque altera de *conceſſione* ſignificatio. videamus, quam ſaepe in disputando hac voce vtatur! in VERREM III. 93. 345. omnino ego neminem video, praeter iſtum, ſed *do hoc vobis* et concedo, multos eſſe. *acad. quaeſt.* I. 6. 11. *dabitis* enim profecto, vt in rebus inuſitatis, quod graeci ipſi faciunt, a quibus haec iam diu tractantur, vtamur verbis interdum inauditis. IIII. 21. 52. ſin autem, omnino nihil eſſe, quod percipi poſſit, a me ſumſero, et, *quod tu mihi das*, accepero, ſapientem nihil opinari: effectum illud erit, ſapientem adſenſus omnes cohibiturum. de *N. D. I.* 32. 497. beatos eſſe deos ſumſiſti, concedimus. beatum autem ſine virtute neminem eſſe poſſe. *id quoque damus*, et libenter quidem. addas de *diuerſ.* I. 50. 647. et in VERREM II. 61. 245.

§. III.

DIFFERRE multis antiquorum idem eſt, quod *diſſeminare*, *diuulgare*. ita TERENTIVS *Heaut. prol.* 16.

Nam quod rumores *diſtulerunt* maleuoli.

Sic etiam NEPOS X. 10. 1. nam celeri *rumore dilato*, DIONI vim adlatam multi concurrerunt, quibus tale facinus diſplicebat. haec ille. quis vero ita hodie loquitur? ſignificat porro *diſrumpere*, *diuidere*, *cruciare*. TERENTIVS *adelph*. III. 4. 40. miſeram me! *differor* doloribus. et in *Andria* II. 4. 4. *et* 5.

orationem ſperat inueniſſe ſe
qua *differat* te.

§. IIII.

EXVERE ſignificat etiam translate *deponere*, *abiicere*. ſic TVLLIVS elegantiſſime *de finibus B. et M.* V. 12. 243. in quibus ſi peccetur diſtortione et deprauatione quadam, aut motu, ſtatuue deformi, vt, ſi aut manibus ingrediatur quis, aut non ante, ſed retro, fugere plane ſe ipſe, *et hominem ex homine exuens*, naturam odiſſe videatur. ad *ATTIC.* XIII. 2. 842. gratior mihi celeritas tua, quam ipſa res, quid enim indignius? ſed iam ad iſta obduruimus, et *humanitatem* omnem *exuimus*. pro LIGARIO 5. 1304. nonne omnem *humanitatem exuiſſes*?

§. V.

INFORMARE transfertur etiam ad *cogitationes*, vt idem ſit, quod *mente concipere*. ſic eleganter TVLLIVS de N. D. I. 15. 481. iam vero, CHRYSIPPVS, qui ſtoicorum ſomniorum fauerrimus habetur interpres, magnam turbam congregat ignotorum, atque ita ignotorum, vt eos *ne coniectura quidem informare* poſſimus, quum mens noſtra quiduis videatur cogitatione poſſe depingere. ſic quoque in *acad. quaeſt.* IIII. 16. 45. omnium deinde inanium viſorum vna depulſio eſt, ſiue *illa cogitatione informantur*, quod fieri ſolere concedimus: ſiue in quiete, ſiue per vinum, ſiue per inſaniam. eodem modo ipſa vox *informatio* adhibetur. de *N. D.* I. 16. 483. quam adpellat πρόληψιν EPICVRVS i. e. anteceptam animo *rei* quamdam *informationem*, ſine qua, nec intelligi quidquam, nec quaeri, nec diſputari poteſt.

§. VI.

INTELLIGERE varie vſurpatur. rarior vſus eſt hodie et tamen celebratiſſimus antiquis pro *obſeruare*, *notare*, *colligere*, *concludere*. ita noſter de *finibus B. et M.* V. 10. 240.

nec

nec vero id ſatis eſt, neminem eſſe, qui ipſe ſe oderit: ſed illud quoque *intelligendum eſt*, neminem eſſe, qui, quomodo ſe habeat, nihil ſua cenſeat intereſſe. et *cap. XI. p.* 241. ſed quia fere ſic adficiuntur omnes, ſatis argumenti eſt, ab interitu naturam abhorrere: idque, quo magis quidam ita faciunt, vt iure etiam reprehendantur, *hoc magis intelligendum eſt*, haec ipſa nimia in quibusdam futura non fuiſſe, niſi quaedam eſſent modica natura. it. *cap.* XVIIII. *p.* 251. quo circa *intelligi* neceſſe eſt, in ipſis rebus, quae diſcuntur et cognoſcuntur, inuitamenta ineſſe, quibus ad diſcendum et cognoſcendum moueamur.

§. VII.

IVDICARE plerumque extra *iudicium fori* de rebus externis ſolet adhiberi: ſed nonnumquam tamen *forenſe* eſt vocabulum, et idem notat, quod *condemnare*, aut *ſententiam ferre*. ita CICERO *Tuſc.* IIII. 42. 310. nae ego, haud paullo hunc animum malim, quam eorum omnium fortunas, qui de hoc *iudicarunt*. i. e. ſententiam tulerunt, aut eum condemnarunt. Sic etiam in VERREM II. 27. 215. quod ciuis centuripinus inter duos ciues *iudicaſſet*, id irritum iuſſit eſſe: eumque iudicem falſum *iudicaſſe*, *iudicauit*.

§. VIII.

OSTENDERE multa ſignificat, quae vide in FABRI *theſauro*. omiſſa tamen eſt *promittendi* notio, qua TVLLIVS ſaepe vtitur, et frequentanda noſtris videtur. ad *diuerſ.* V. 19. 131. libenter amplector talem animum, ſed ita, non enim dimittam pudorem in rogando meum, ſi feceris id, *quod oſtendis*, magnam habebo gratiam; ſi non feceris, ignoſcam. et paullo ante: *p.* 130. etſi mihi numquam dubium fuit, quin tibi eſſem cariſſimus: tamen quotidie magis id perſpicio: exſtatque id, quod mihi *oſtenderas* quibusdam litteris cet. V. 12. 121. ac ne forte mirere, cur, *cum mihi ſaepe oſtenderis*, te adcuratiſſime noſtrorum temporum conſilia, atque euentus litteris mandaturum: a te id nunc tanto opere, et tam multis verbis petamus: cet. VIIII. 8. 233. etſi munus flagitare, *quamuis quis oſtenderit*, ne populus quidem ſolet, niſi concitatus: ta-

men ego exſpectatione *promiſſi* tui moueor, vt admoneam te, non vt flagitem.

§. VIIII.

PERSCRIBERE vox vulgata, ſenſu notiſſimo. quotus vero quisque eſt, qui illam ita vſurpet, vt idem ſignificet, quod in *tabulas publicas referre:* noſtris: *niederſchreiben*: *protocolliren?* at ſaepius ita CICERO. ad *diuerſ.* I. 2. *p.* 4. de his rebus, pridie, quam haec ſcripſi, ſenatus auctoritas grauiſſima interceſſit, cui quum CATO et CANINIVS interceſſiſſent, tamen eſt *perſcripta.* adde loca, quae collegit MANVTIVS in *commentario ad h. l.* ita quoque pro SVLLA XIIII. *p.* 854. itaque introductis in ſenatum indicibus, conſtituti ſenatores, qui omnia indicum dicta, interrogata, reſponſa *perſcriberent*, et *ſeq. pag.* itaque dici, locum in orbe terrarum eſſe nullum, quo in loco populi romani nomen ſit, quin eodem *perſcriptum* hoc indicium peruenerit; ſic et in VERREM IIII. 63. 404. IIII. 64. 406. IIII. 65. 407. I. 21. 156.

§. X.

PRAEFINIRE idem, quod *praeſcribere.* ſic CICERO. in VERREM V. 68. 472. neque de illo quidquam tibi *praefinio*, quo minus ingenio mecum, atque omni dicendi facultate contendas. item *Tuſc. V.* 8. 430. tu vero, vt videtur; nam *praefinire* non eſt meum.

§. XI.

PRODERE eo ſenſu, quo *creare* eſt, non ignoratur modo plerisque, ſed ſi quis *conſulem prodidiſſe* dicatur, criminis fortaſſe reus haberetur: qua tamen dicendi formula optimo ſenſu vtebantur veteres. ſic TVLLIVS de *legibus* III. 4. 789. cum populo patribusque agendi ius eſto conſuli, praetori, magiſtro populi equitumque, eique, quem *produnt patres*, conſulum rogandorum ergo. et paullo ante: *cap.* III. *p.* 789. auſpicia patrum ſunto: olliqui ex ſe *produnto*, qui comitiatu creare conſules rite poſſint. ſed, quum haec legis verba ſint, ne antiquata videatur ſignificatio, ex ipſis TVLLII orationibus exemplum dabimus. ita pro MILONE *cap.* X. *p.* 1245. interim quum ſciret CLODIVS, neque enim erat difficile, iter ſollemne,

ne, legitimum, neceſſarium, ante diem XIII. Kal. febr. MILONII eſſe LANVVIVM ad *flaminem prodendum*, quod erat dictator Lanuuii MILO, et poſt *cap.* XVII. *p.* 1252. vt enim neminem alium, niſi T. PATINAM, familiariſſimum ſuum, rogaſſet, ſcire potuit, illo ipſo die Lanuuii a dictatore MILONE *prodi flaminem* neceſſe eſſe. add. Orat. *pro domo ad pontif. c.* XIIII. *p.* 930. auſpiciaque populi R. ſi magiſtratus patricii creati non ſint, intereant, neceſſe eſt, quum interrex nullus ſit, quod et ipſum, patricium eſſe, et a patricio *prodi, neceſſe eſt.*

§. XII.

REFERRE quam varias habeat ſignificationes, notum in vulgus eſt: negligitur tamen fere, quae *proponere aliquid* indicat. eſt vero hoc ſollemne verbum aut conſulum, aut conſularium, qui ad ſenatum verba faciunt, atque de re quadam colligunt ſuffragia. ita CICERO ad *diu* I. 2. *p.* 2. quod inſtituit *referre* de religione; et ſaepe iam *retulit*, ab eo deduci non poteſt. paullo poſt: et VOLCATIVM, qui, LVPO *referente*, POMPEIO decernit. in *orat. pro domo ſua c.* 26. *p.* 942. homines legum iudiciorumque metuentes, quum frequentiſſimus ſenatus eos, vt de me *referrent*, quotidie flagitaret, non ſe rem improbare dicebant, ſed lege iſtius impediri. et poſt *c.* 27. item *cap.* 51. *p.* 964. atque ille tamen *ad collegium retulit*: tu *ad quem retuliſti*? et mox: nouum delubrum quum in vrbis clariſſimo loco, nefando quodam atque inaudito inſtituto, inchoares: *referendum ad ſacerdotes* publicos non putaſti. ſic *cap.* LIII. *p.* 965. habetis in commentariis veſtris C. CASSIVM cenſorem de ſigno concordiae dedicando, ad *pontificum collegium retuliſſe*, cet. et paucis interiectis: quid? - - non eam rem ex auctoritate ſenatus *ad hoc collegium* Sext. IVLIVS praetor *retulit*? adde ad *ATTIC.* IIII. 2. *p.* 583. et in VERREM IIII. 64. *p.* 405. ſi qua de re ad ſenatum *referatur.*

§. XIII.

SEQVI habet et hanc ſignificationem, in lexicis non animaduerſam, vt idem ſit, ac *conari, ſtudere.* ſic certe CICERO de *N. D. I.* 5. 472. cuius rei tantae, tamque difficilis facultatem conſequutum eſſe me non profiteor, *ſequutum eſſe* prae

me

me fero. item de *officiis* I. 1. 805. nos autem quantum in vtroque profecerimus, aliorum ſit iudicium, vtrumque certe *ſequuti ſumus.*

§. XIIII.

SVPERARE eleganter pro *ſupereſſe*, ſed hodie rarius obſeruatur. CICERO de *finibus B. et M. V.* 60. 247. deinde aequalibus delectantur, libenterque ſe cum his congregant, dantque ſe ad ludendum: fabellarumque auditione ducuntur; deque eo, *quod ipſis ſuperat*, aliis gratificari volunt. de *orat* II. 19. 432. vt genera rerum primum exponerentur, in quo vitium eſt, ſi genus vllum praetermittatur: deinde ſingulorum generum partes, in quo et deeſſe aliquam partem, et *ſuperare*, mendoſum eſt. *parad.* VI. 3. 1010. vter igitur eſt diuitior, cui deeſt, an cui *ſuperat*?

§. XV.

SVSTINERE quas patiatur ſignificationes, adnotatum eſt in FABRI *theſauro*; ſed omiſſa ea eſt notio, pro qua recentiores dicunt *ſufflaminare ſententiam*, aut ἐπέχειν habent. CICERO *acad. quaeſt.* I. 12. 18. huic rationi quod erat conſentaneum, faciebat, vt contra omnium ſententias dies iam pleroſque deduceret: vt, quum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum inuenirentur, facilius ab vtraque parte *adſertio ſuſtineretur.* ſic IIII. 17. 46. quamquam totum hoc, ſapientem aliquando *ſuſtinere adſenſionem*, contra vos eſt. et *cap.* XXI. *p.* 52. quam ob rem, quum tam vitioſum eſſe conſtat, adſentiri quidquam aut falſum, aut incognitum, *ſuſtinenda eſt potius omnis adſenſio*, ne praecipitet, ſi temere proceſſerit.

AD PARTIS II.

CAPVT I.

DE

CONSTRVCTIONE NOMINVM ET VERBORVM.

§. I.

COMITARI *aliquem* in vulgus notum, ſed et cum *caſu tertio* iunxit CICERO duobus ſaltim, ſi non pluribus, locis.

cis. *Tuſc.* V. 24. 446. *tardis* enim *mentibus* virtus non facile *comitatur.* neque eſt, quod heic vocem adhiberi paſſiue, arbitreris. lege integrum caput, et ex nexu verborum, ex iis, quae praecedunt, quaeue ſequuntur, rem ipſam videbis. ita quoque V. 35. 457. ceteraque, quae *comitantur huic vitae,* in quo ſapiens nemo efficietur vnquam, moderatur vero multo minus.

§. II.

CONSTARE *ſibi*, notiſſima eſt dicendi formula, ſed *conſtare ſecum*, aut *cum re aliqua* plerisque ignoratur, neque obſeruata in pleniſſimo FABRI *theſauro.* vſus tamen ea eſt TVLLIVS de *inuentione* II. 14. 296. *conſtetne oratio aut cum re,* aut *ipſa ſecum.* et *autor ad* HERENNIVM *lib.* II. 10. *p.* 127. deinde contrariam ſententiam aut nullam eſſe, aut ſtultam, aut iniuſtam, aut non poſſe fieri, aut *non conſtare cum ſuperioribus* et *inferioribus ſententiis*, aut cum iure communi, aut cum aliis legibus communibus, aut cum rebus iudicatis diſſentire.

§. III.

DEFICERE, quando pro *deeſſe* adhibetur, pronomini *quarto caſu* iungitur: et hoc vulgatum. interdum tamen *ſine caſu* verbum eodem ponitur ſenſu; quod minus frequentatur. ita TVLLIVS *Tuſc.* V. 35. 458. *dies deficiet,* ſi velim paupertatis cauſam defendere. de *finibus B. et M. II.* 14. 134. itaque eo, quale ſit, breuiter, vt tempus poſtulat, conſtituto, accedam ad omnia tua, TORQVATE, niſi *memoria* forte *defecerit.* ſic quoque pro QVINCTIO I, *p.* 3. ita, quod mihi conſueuit in ceteris cauſſis eſſe adiumento, *id* quoque in hac cauſa *deficit.*

§. IIII.

DESPERARE *de aliqua re*, et *alicui rei*, ſatis hodie vſurpatur: at quam raro dici videas: *deſperare aliquam rem,* lege TVLLIVM noſtrum: et rem ipſam videbis. de *nat. deor.* I. 22. 488. ſed SIMONIDEM arbitror - - quia multa venirent in mentem acuta atque ſubtilia, dubitantem, quid eorum ſit veriſſimum, *deſperaſſe omnem veritatem.* pro MVRENA. *Cap.* XXI. *p.* 775. neſcio quo pacto ſemper hoc fit: neque in vno, aut altero animaduerſum eſt, ſed iam in pluribus: ſimulatque candidatus, accuſationem meditari viſus eſt, vt *honorem deſperaſſe* videatur. ſic et LENTVLVS apud CICERONEM ad *diu.*

XII.

XX. 14. 342. *Rhodii nos* et *rem publicam* quam valde *deſperauerint*, ex litteris, quas publice miſi, cognoſces.

§. V.

DIFFERRE *in aliqua re*, et *ab aliqua re*, et *aliqua re*, notum eſt omnibus, non vero ſaepius videas dici, *differre cum aliquo*, quod tamen ſaepe adhibet CICERO. de *inuent.* X. 50. 333. deinde, quid *res cum re differat*, demonſtrabitur, vt non idem videatur de vtraque exiſtimari oportere. ſic *lib.* I. 27. 252. quare *cum tempore hoc differt*. nam genere quidem vtrumque idem eſſe intelligitur. huc ſpectat etiam *differre inter aliquid et aliquid*, de *nat. deor.* I. 29. 494. ſi enim nihil *inter deum et deum differt*, nulla eſt apud deos cognitio, nulla perceptio. item de *fato cap.* IIII. *p.* 718. *inter locorum naturas, quantum interſit*, videmus alios eſſe ſalubres, alios peſtilentes, in aliis eſſe pituitoſos, et quaſi redundantes, in aliis, exſiccatos atque aridos: multaque ſunt alia, quae *inter locum et locum* plurimum *differunt*. de *officiis* II. 8. 868. haec enim eſt vna res prorſus, vt non multum *differat inter ſummos et mediocres viros*, eaque vtriſque eſt propemodum comparanda.

§. VI.

SENTIRE *aliquid* et *de aliquo* conſuetum eſt noſtris auctoribus, non item ſentire cum aliquo: quod habet TVLLIVS pro *domo* IIII. *p.* 919. primum dico ſenatoris eſſe boni, ſemper in ſenatum venire: nec *cum his ſentio*, qui ſtatuunt minus bonis temporibus in ſenatum ipſi non venire. pro ROSCIO L. XXXXVIIII. *p.* 74. ſi id actum eſt, fateor, me erraſſe, qui hoc maluerim: fateor inſaniiſſe, qui *cum illis ſenſerim*. de *inuent.* I. 5. *p.* 230. nam neque *cum iis ſentimus*, qui ciuilem ſcientiam eloquentia non putant indigere.

§. VII.

VIVERE *cum homine* celebrata eſt dicendi formula, vix vero fuerint, qui *viuere cum re aliqua* dixerint. CICERO tamen ita loquitur, de *finibus B. et M.* III. 8. 176. ex quo intelligitur idem illud, ſolum bonum eſſe, quod honeſtum ſit; idque eſſe beate viuere, honeſte, id eſt, *cum virtute viuere*. et *Cap.* VIIII. *p.* 176. ſed ſunt tamen perabſurdi et ii, qui, *cum ſcientia viuere*, vltimum bonorum, et qui nullam rerum differentiam eſſe dixerunt, atque ita ſapientem beatum fore.

AD

AD PARTIS IIII.
CAPVT I.
DE
NOMINIBVS, QVAE VVLGO NEGLIGVNTVR.

§. I.

ACTVOSVS. quod in *actione conſiſtit*: ſic eam philoſophiae partem, quam omnes *practicam* dicunt, *actuoſam* merito queas nominare. CICERO de *virtute* eodem prorſus modo. de *nat. deor.* I. 40. 504. videamus nunc de beato: ſine virtute certe nullo modo: virtus autem *actuoſa*: et deus veſter nihil agens: expers virtutis igitur: ita ne beatus quidem. in *oratore cap.* 36. 684. nam cum omnis pars orationis eſſe debet laudabilis, ſic vt verbum nullum, niſi aut graue aut elegans excidat? tum ſunt maxime luminoſae et quaſi *actuoſae partes* duae. ſed vix hodie ea voce quemquam vti videas.

§. II.

AEQVILIBRITAS, graece ἰσονομία. vox a CICERONE excogitata, ſed aeque vſu mollienda, atque voces *beatitas* et *beatitudo*, TVLLIVM patrem agnoſcentes. dabimus vtrumque locum. prior eſt de *N. D. I.* 34. 499. quid autem obſtat quo minus ſit beatus, ſi non ſit bipes? aut iſta ſiue *beatitas*, ſiue *beatitudo* dicenda eſt, vtrumque omnino durum, ſed vſu mollienda nobis verba ſunt, verum ea cet. alter eſt de *N. D. I.* 39. 505. confugis ad *aequilibritatem*: ſic enim ἰσονομίαν, ſi placet, adpellemus. haec ille. hodie fere omnes *aequilibrium* dicunt.

§. III.

COMMVNITAS idem, quod *communio* et *ſocietas*. vix hodie in noſtrorum ſcriptis legitur, qua voce crebro vtitur TVLLIVS. de *fin. B. et M.* III. 20. 189. facile intelligitur, nos ad coniunctionem congregationemque hominum, et ad naturalem *communitatem* eſſe natos. et mox: ſic inter nos natura ad ciuilem *communitatem coniuncti*. et paucis interiectis: praeclare enim CHRYSIPPVS, cetera nata eſſe hominum cauſſa et

deo-

deorum: eos autem, *communitatis* et *ſocietatis* ſuae. ſic quoque IIII. 2. 197. natas eſſe ad congregationem hominum et ad ſocietatem *communitatemque* generis humani. tandem V. 14. 246. ſic et extremum omnium appetendorum, atque ductum a prima *communitate naturae*, multis gradibus adſcendit.

§. IIII.

CONFECTOR, *qui rem conficit, finit, conſumit.* ignota plerisque et inuiſa vox. CICERO in VERREM. II. 44. 230. is eſt C. CLAVDIVS, qui in ſicilia ſequeſter iſtius, interpres, *confector negotiorum*, prope collega TIMARCHIDI numerabatur. ad *diu*. X. 20. 278. mea quidem, vt ad te ſaepius ſcripſi, haec ſententia eſt: qui reliquias huius belli oppreſſerit, eum totius belli *confectorem fore*. de *N. D.* II. 15. 524. atque hic noſter ignis, quem vſus vitae requirit, *confector* eſt, et *conſumtor omnium.*

§. V.

CONFISIO idem quod *fidentia.* vocabulum CICERONIANVM *Tuſc.* IIII. 37. 419. et ſi fidentia, id eſt, *firma animi confiſio*, ſcientia quaedam eſt, et opinio grauis: metus quoque eſt diffidentia exſpectati et impendentis mali.

§. VI.

DESPICATIO et DESPICIENTIA hodie vix occurrunt, tamen vtraque vox CICERONI eſt vſurpata. ſic de *finibus B. et M.* I. 20. 112. atque vt odia, inuidiae, *deſpicationes*, aduerſantur voluptatibus. cet. *Tuſc.* I. 40. 308. totam vim bene viuendi in animi robore, ac magnitudine, et in omnium rerum humanarum *contemtione* ac *deſpicientia*, et in omni virtute ponamus. de *officiis* I. 20. 826. omnino fortis animus et magnus, duabus rebus maxime cernitur: quarum vna in rerum externarum *deſpicientia* ponitur. II. 11. 871. ergo et haec animi *deſpicientia* admirabilitatem magnam facit:

§. VII.

GRATIFICATIO, vox, quae poſſit ſuſpecta videri, ab ipſo CICERONE ſaepius adhibetur. praeter locum in FABRI theſauro productum occurrit de *N. D.* I. 44. 507. vos autem, quid mali datis? cum imbecillitatem, *gratificationem*

et

et beneuolentiam ponitis? pro MVRENA *cap.* XX. *p.* 775. cogendi iudices: inuiti retinendi contra voluntatem: ſcriba damnatus: ordo totus alienus: *ſullana gratificatio* reprehenſa.

§. VIII.

IMBECILLVS. pro quo hodie eſt *imbecillis.* ſed quum vtraque voce vtatur CICERO: priore tamen ſaepius. atque adeo in vſum reuocanda eſt. dabimus quaedam e noſtro loca. ita de *fin. B. et M. I.* 15. 106. vt ſuccumbere doloribus, eosque humili animo, *imbecilloque* ferre, miſerum eſt. II. 16. 107. non oportet timidum aut *imbecillo* animo fingi. V. 60. 247. nam vt ſaepe iam dixi, in infirma aetate, *imbecillaque* mente vis naturae per caliginem cernitur. *Tuſc. II.* 24. 344. ſin erit ille gemitus elamentabilis, ſi *imbecillus, ſi abiectus, ſi flebilis.*

§. VIIII.

INDOLENTIA. vox a CICERONE ad exprimendam *ἀναλγησίαν* graecorum inuenta, notat *eum animi ſtatum, quo a doloribus ſumus vacui.* ſic vocem adhibet de *finibus B. et M.* II. 4. 120. num propterea idem voluptas eſt, quod, vt ita dicam, *indolentia?* et *cap.* 6. 124. neque HIERONYMVS, qui ſummum ſtatuit, non dolere, voluptatis nomine vmquam vtitur, pro illa *indolentia. Tuſc. III.* 6. 355. minime inquit adſentior iis, qui iſtam, neſcio quam *indolentiam* magnopere laudant. de *officiis III.* 3. 894. quodſi is eſſet PANAETIVS, qui virtutem propter ea colendam diceret, quod ea efficiens vtilitatis eſſet: vt ii, qui res expetendas vel voluptate, vel *indolentia* metiantur, liceret ei dicere, vtilitatem aliquando cum honeſtate pugnare.

§. X.

INFRACTIO *animi* vox eſt rarior, ſed elegans et in vſum reuocanda. ſic CICERO *Tuſc. III.* 7. 356. veriſimile eſt igitur, in quem cadat aegritudo, cadere in eumdem timorem,

et *infractionem* quidem animi, et demiſſionem. male recentiores *infracto animo* pro *forti* et *robuſto* vtuntur. TVLLIVS *poſt redit. ad quirites cap.* VIII. *p.* 893. eum tamen vidi, cum eſſet ſumma ſenectute, non modo *non infracto animo* propter magnitudinem calamitatis, ſed confirmato, atque renouato. add. *pro domo ſua c.* XXV. *p.* 940. itaque *infractus furor* tuus inanes faciebat impetus.

§. XI.

INGENERATVS, hodie *innatus*, eodem ſenſu, et recte quidem: ſed non debebat illa vox antiquari. vide enim TVLLIVM pro SEXTIO *cap.* VIIII. 1050. quia triſtem ſemper, quia taciturnum, quia ſubhorridum, atque incultum videbant, et, quod erat eo nomine, vt *ingenerata* familiae frugalitas videretur: fauebant, gaudebant; cet. de *finibus B. et M.* V. 11. 242. iure igitur grauiſſimi philoſophi initium ſummi boni a natura petiuerunt, et illum appetitum rerum ad naturam adcommodatarum, *ingeneratum* putauerunt omnibus. de *diuin.* II. 64. 694. quodſi haec aſtro *ingenerata* et tradita eſſent, nulla res ea mutare poſſet. de *legibus* I. 8. 743. quumque alia, quibus cohaerent homines, e mortali genere ſumſerint, quae fragilia eſſent, et caduca: *animum* tamen eſſe *ingeneratum* a deo.

§. XII.

INGRESSIO idem, quod *inceſſus*, exulat ex recentiorum ſcriptis, ſed vſu confirmanda vox. ita CICERO *Tuſc.* IIII. 22. 405. cuius, vt arma ſumſit, *ingreſſio* laetitiam attulit ſociis, terrorem autem hoſtibus. in *oratore* III. 656. ac video, hanc primam *ingreſſionem* meam non ex oratoris diſputationibus ductam, cet. *cap.* LVIIII. *p.* 706. interdum enim curſus eſt in oratione incitatior, interdum *moderata ingreſſio*: vt iam a principio videndum ſit, quemadmodum velis venire ad extremum.

§. XIII.

MINISTRATOR pro *miniſtro* rarius hodie vocabulum, ſed antiquis peruulgatum ideoque noſtris reſumendum.

dum. TVLLIVS de *oratore* II. 75. 491. vt, quum te ipſum, SVPLICI, obiurgabam, quod *miniſtratorem* peteres, non aduerſarium. *Tuſcul.* V. 21. 444. itaque nec pulcros illos *miniſtratores* adſpiciebat, nec plenum artis argentum.

§. XXIIII.

OPINATIO pro *opinione*, inaudita hodie vox, qua CICERO ſaepius vtitur, *Tuſcul.* IIII. 7. 392. *opinationem* autem, quam in omnes definitiones ſuperiores incluſimus, volunt eſſe imbecillam adſenſionem. it. *c.* XI. 396. haec autem *opinatio* eſt iudicare, ſe ſcire, quod neſciat, rurſus *acad.* IIII. 25. 56. illud certe, *opinatione* et perceptione ſublata, ſequitur omnium adſenſionum retentio.

§. XV.

OPINATOR idem, quod *opinatio*, fatum fuit expertus, quem quum hodie plerique doctrina exprimant, nomen tamen auerſantur. eſt vero *opinator*, qui incertis, tamquam, quae ſint certa, adſenſum praebet. ita TVLLIVS *acad. quaeſt.* IIII. 20. 51. ego vero ipſe et magnus quidem ſum *opinator* (non enim ſum ſapiens) et meas cogitationes cet. de quo *lib.* IIII. 48. *p.* 86. haec habet: ad patris reuoluor ſententiam. quam quidem ille Carneadeam eſſe dicebat, vt percipi nihil putem poſſe, *adſenſurum* autem non percepto, id eſt, *opinaturum ſapientem* exiſtimem: ſed ita, vt intelligat, ſe *opinari.*

§. XVI.

PARABILIS *paratu facilis*, non ſatis frequentatur, et commoda tamen vox eſt, et antiquis peruulgata. ſic noſter de *fin. B. et M.* I. 13. 105. ne naturales quidem multa deſiderant, propterea, quod ipſa natura diuitias, quibus contenta ſit, et *parabiles* et terminatas habet. *de fin.* II. 28. 150. ſapientem locupletat ipſa natura: cuius diuitias EPICVRVS ipſe *parabiles* eſſe docuit. et *pag.* 151. naturae diuitias dixit *parabiles* eſſe. et *Tuſc.* V. 33. diuitias enim naturae *parabiles* eſſe.

§. XVII.

PRAEDICABILIS ſuſpecta plerisque vox, et ſane, ſi ſenſu ſcholaſticorum dialectico adhibeatur, antiquis etiam ignota notio eſt; ſed CICERONI eſt pro *laudando* et *praedicando*, quo ſenſu frequentari debet. *Tuſc.* V. 17. 439. nec in miſera vita quidquam eſt *praedicabile*, aut *gloriandum*. et paullo poſt: *et eſt* in aliqua vita *praedicabile* aliquid ac gloriandum, ac prae ſe ferendum.

§. XVIII.

PROVISIO, *futurorum praeſenſio*. infrequens vocabulum et rariſſimum in recentiorum libris. copioſe tamen vſurpat TVLLIVS. ſic *Tuſc.* III. 14. 365. itaque quamquam non haec vna res efficit maximam aegritudinem, tamen, quoniam multum poteſt *prouiſio animi*, et praeparatio ad minuendum dolorem, ſint ſemper omnia homini humana meditata. in *oratore cap.* 56. *p.* 703. inculcamus autem per imprudentiam ſaepe etiam minus vſitatos, ſed tamen verſus; vitioſum genus, et *longa animi prouiſione* fugiendum. de *partitione orator. cap.* 20. *p.* 758. reliquum autem genus cauſſarum, aut in *prouiſione poſteri temporis*, aut in praeteriti diſceptatione verſatur.

§. XVIIII.

SATVS pro *ſatione*. CICERO *Tuſc.* II. 5. 326. cultura autem animi philoſophia eſt: haec extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad *ſatus* accipiendos. ſed quis hodie ita loquitur?

§. XX.

SELECTIO pro *ſelectu*, vt pleraeque voces in IO terminatae pro *vocibus quartae declinationis*, hodie in obſoletis habetur: delectatur tamen hac verborum clauſula TVLLIVS. ſic de *fin. B. et M.* III. 6. 172. quae, inuenta *ſelectione* et item reiectione, ſequuntur: deinceps cum officio *ſelectio*. it. *cap.* VIIII. 176. quid autem apertius, quam ſi *ſelectio* nulla ſit ab illis re-

rebus, quae contra naturam ſint. et *lib.* II. 13. 133. dum enim in vna virtute ſic omnia eſſe voluerunt, vt eam rerum *ſelectione* exſpoliarent, cet.

§. XXI.

VACVITAS *doloris* idem, quod ſupra *indolentia*: qua voce, ſed crebrius, vtitur CICERO ad ἀναλγησίαν graecorum exprimendam; quamquam vtraque hodie aeque negligitur. producamus TVLLII noſtri loca, et vſui commendemus. de *finib. B. et M. I.* II. 101. nam quoniam quum priuamur dolore, ipſa liberatione et *vacuitate* omnis *moleſtiae* gaudemus. et *p.* 102 nec manus eſſe contenta poſſet, vlla *vacuitate doloris*, ſine iucundo motu voluptatis. II. 5. 122. cur mauult dicere voluptatem, quam *vacuitatem doloris?* et poſt paullo: quum efficere non poſſit, vt cuiquam - - - *vacuitas doloris* et voluptas idem eſſe videatur. II. 6. 123. coniungere doloris *vacuitatem* cum voluptate. et mox DIODORVS ad eamdem honeſtatem addidit *vacuitatem doloris.* adde *cap.* XI. *p.* 130. 131. *cap.* XIII. *p.* 133. III. 1. 165.

§. XXII.

VITIOSITAS vox mimine vulgaris, in FABRI *theſauro* exponitur *Gebrechlichkeit*, et allegatur *Tuſc.* IIII. 15. 399. ſed vide ſis locum integrum, et animaduertes, vitioſitatem plane aliud eſſe, et ſignificare *habitum vitii.* ita vero TVLLIVS: quando igitur virtus eſt adfectio animi conſtans, conueniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus eſt: ipſa per ſe ſua ſponte, ſeparata etiam vtilitate, laudabilis. ex ea proficiſcuntur honeſtae voluntates, ſententiae, actiones, omnisque recta ratio: quamquam ipſa virtus breuiſſime recta ratio dici poteſt. huius igitur *virtutis* contraria eſt *vitioſitas.* ſic enim malo, quam *malitiam* appellare eam, quam graeci κακίαν adpellant. nam *malitia* certi cuiusdam *vitii* nomen eſt: *vitioſitas omnium.* adde quoque *Tuſc.* IIII. 13. 397. et, is locus rem omnem plane conficiet. *vitioſitas.* ita enim habet, *eſt habitus, aut affectio in tota vita inconſtans*, et a ſe ipſa *diſſentiens.*

§. XXIII.

VOLVPTARIVS CICERONI propria vox, pro qua recentiores habent *voluptuoſus*, vocem cadentis latinitatis. reſuſcitemus ergo vſuque molliamus vocem TVLLIANAM. ita vero de *finib.* V. 25. 259. quin etiam ipſi *voluptarii* diuerticula quaerunt, cet. *Tuſc.* II. 7. 327. EPICVRVS - - - homo, vt ſcis *voluptarius*. III. 18. 367. a grauibus illis antiquis philoſophis petenda medicina eſt, non ab his *voluptariis* V. 31. 454. ordiamur ab eo, ſi placet, quem mallem, quem *voluptarium* dicimus.

§. XXIIII.

QVVM ita ſcriptioni finem imponerem: incidit forte in manus recentiſſima libelli VORSTIANI editio, cui elegantiſſimam praefationem praemiſit celeberrimus et humaniſſimus GESNERVS. nihil tamen in ipſo libro additum eſt, quod ſpongiam me huic inducere labori cogat. qua propter his copiolis, ſi videatur, vtere LECTOR BENEVOLE,

et vale

V. ALE-

V.

ALEXANDRI SINCLAIRI COMMENTATIO DE C. CAESARE OCTAVIANO, TYRANNO ET AVGVSTI COGNOMINE INDIGNO.

AD

SODALES LATINOS IENENSES

CIƆ IƆCC XXXVII.

Tyrannum appellamus, vt ſcitis Sodales cariſſimi, quemcumque regem crudelem, et in primis illum, qui euerſis perfractisque legibus, neglecta ciuium ſalute, proſtrata republica, ademta patriae libertate, victis et oppreſſis ciuibus, dominatur. Auguſta vocamus ea, quae diuina, ſacra et ſumme venerabilia ſunt: quapropter dicitur, templum, grauitas, augurium, moenia auguſta. Quum Romani, amiſſa libertate, in ſeruitium ruerent, et iniuſtiſſimum dominum laudarent, vocibus, quas adulatio inueniebat, terror exprimebat, ſenatus Romani, iam vani et ridiculi nominis, decreto, et cenſente, vt eſt ingenioſa Seruitus, Munatio Planco, C. Octauianus Caeſar, Auguſti cognomen aſſumſit. Scio eſſe fere plerosque, qui Octauianum, ob clementiam et benignitatem ſuam, Auguſti cognomen accepiſſe, tyrannum vero nequaquam dici poſſe, iudicent. Poetae noſtri et oratores laudationes, et carmina, quibus regum et principum gratiam aucupantur, Caeſaris Auguſti nomine et hiſtoria, quaſi papauere et ſeſamo, ſpargunt, et omnia dicta factaque illorum ad huius exemplar exigunt, quo nullum abſolutius inueniri poſſe credunt. Sed ſi vera dicere volumus, infamant, quos ſe laudare putant; quum nihil magis hac comparatione, ad iuſti et boni regis laudem minuendam, facere poſſit. Nemo tam egregie poſteritati impoſuit, nullus vmquam tyrannus pro norma optimi regis et clementiſſimi principis apud poſteros habitus eſt. Huic vni innumerabiles ciuium neces, huic vexatio et direptio patriae, huic teterrima quaeque ſcelera, apud poſteros quoque non libera ſolum et impunita, ſed etiam laudi fuerunt. Verum enim vero detrahamus tandem aliquando turpiſſimo capiti perſonam, et reddamus diuo Auguſto faciem ſuam mollem et ſanguinariam. Inde nobis conſilium de C. Octauiano Caeſare pauca tradere, et de illius iniuſtitia, crudelitate libidine, auaritia ceteriſque vitiis, ſine ira et odio, quorum ſcilicet cauſſas procul habemus, breuiter atque capitulatim dicere.

Viri fortiſſimi, M. Brutus et C. Caſſius, id facinus aggreſſi, quod iam Athenis Thraſybulum, Pelopidam Thebis auſos eſſe

eſſe acceperant, interitu tyranni occidentis patriae iniurias ſunt quidem vlti, ſed rege non regno ciues liberarunt. Reſtabat M. Antonius, multo nequior, quam ille ipſe, quem necauerant; ſupererat quoque Dolabella, aliique perditi et peſſimi ciues. Ad haec mala hoc acceſſerat etiam, quod I. Caeſar, non contentus ipſe in libera ciuitate nefario ſcelere dominari, ſe etiam exſtincto, ciues ſuos ſeruire voluerit, ideoque ſororis ſuae nepotem, G. Octauium, paucarum imaginum iuuenem, in locum filii adoptauerit, relictis ei magnis opibus ad conſeruandam tyrannidem. Hunc puerum I. Caeſar, quem imperiorum et dominatus cupiditate incenſum iam diu iuſtitiae et aequi obliuio ceperat, patriis legibus ſpretis, necdum eo tempore XVII annos natum, lati claui honore decorauit, et magiſtrum equitum dixit. Sed quum hic imberbis et bellulus imperator, digniorque forſitan illorum equitum magiſter eſſe, qui in arundine equitant, exercitui praeeſſe, et munia ducis obire non poſſet; Apolloniam miſſus, ſtudiis ibi liberalibus operatus eſt. Vt vero a teneris (vt Graeci dicunt) vnguiculis dominatui, armis, militiaeque adſueſceret, et ad bella ciuilia meditari poſſet, maximae Caeſar curae habuit, per omnes exercitus puerum oſtentare, et tribunis, centurionibusque vicinarum legionum iniungere, vt ei ſaepius apparerent, illumque in bellica diſciplina erudirent. Nondum Octauius Apolloniae ſextum menſem exegerat, quum ei mors violenta I. Caeſaris nuntiata eſt. Hoc inexſpectato nuntio perculſus, et iam nil niſi hoſtile in patriam cogitans, ad proximas legiones confugere, resque nouas moliri, meditatus eſt: ſed hoc audax conſilium, acceptis a vitrico et matre litteris, mutauit, relictisque litterarum ſtudiis, ex Epiro Brundiſium venit. Hic a militibus praeſidiariis et veteranis gratulantibus Caeſar conſalutatus, talique ſucceſſu exſultans et iam praefidens ſibi, paullo poſt contractis vndique ſeruis, libertis, clientibus veteranisque I. Caeſaris, horum turba et colluuie ſtipatus, vrbem ingreſſus eſt, luculentamque, ſed inuidioſam et infamiae ſubiectam hereditatem creuit, matre et vitrico fruſtra diſſentientibus. Quum quoque ab iſtis admoneretur, vt priuata odia publicis vtilitatibus re-

 mit-

mitteret, necemque patris vlciſci ſuperſederet, in primis quum ſenatus conſulto patris ſui interfectoribus venia data, et ſic omnis memoria discordiarum ſempiterna obliuione delera esſet; ille contra, pietatem erga parentem obtentui ſumere, nil niſi necem et vindictam loqui; et percurſoribus minari, iuuenili omnia dementia, ſed virili ferocitate. Quare ad Antonium cos. cum magna comitum cohorte adiit, ab eoque importuniſſime popoſcit, vt a tyrannicidis poenas repeteret, et ſibi pecuniam a Calpurnia in aedibus eius depoſitam ſine mora traderet, quo poſſet populo legata patris propediem exſoluere; ſubinde negligentiae et ingrati in Caeſarem animi conſulem increpans, quod per hunc ſteterat, quo minus plebs M. Bruti et C. Caſſii domos cum dominis incendio deleuerit. Ad haec Antonius reſpondit, non decere adoleſcentulum, rationem reipublicae a conſule repoſcere, multo minus dominari velle; ſui muneris eſſe, quod ille tam magnam hereditatem conſequutus eſſet: ſe enim reſtitiſſe, ne I. Caeſar hoſtis et tyrannus a ſenatu iudicaretur, teſtamentumque et acta eius reſcinderentur; ſe porro velle creditas ſibi pecunias tradere; at ſe ei eſſe auctorem, vt iſtis infidae plebeculae fauorem non captet. His Octauianus exacerbatus, ſeditionem in Antonium concire coepit, palamque, vt illi maiorem inuidiam concitaret, vociferari, illius culpae tribuendum eſſe, quod ipſe necdum legata et promiſſa patris populo Romano perſoluerit; et, vt nihilo ſecius oſtenderet, qua voluntate eſſet in populum, vendita, quam in poteſtate habebat, hereditate et omnibus bonis paternis, pecuniam inter plebem tributim diuiſit, doctus peſſimi patris exemplo, largitione certiſſimam beneuolentiam plebis facillime conſequi. Quum paullo poſt Antonius cos. ſellam auream in ludis I. Caeſari ponere Octauiano prohibuiſſet; hic, id quoque aegre et iracunde ferens, ſtipatus obſcura atque humili multitudine, per forum, vicos et compita clamitabat, vlciſcerentur ſanguinem et iniurias patris ſui, poenasque ab Antonio reciperent. Eo iam proceſſerat impudentior adoleſcentis intemperantia, vt patricius, et nullo vmquam militari vel vrbano munere vere functus, tribunatum plebis ambi-

bierit, accepta vero repulſa, veteranos I. Caeſaris ex coloniis per largitiones concierit, priuatusque adoleſcens exercitum parauerit. Miſſi in Antonii caſtra, qui praemiis et pecunia legiones corrumperent, ad ſuasque partes ſenſim et minutatim perducerent: immo ipſe conſul et imperator, quum aliter ſubito vinci non poſſet, per fraudem, et inſidias, et domeſticos percuſſores aggreſſus. Iam Octauianus, iuſto exercitu comparato, et dominandi libidine flagrans, vi et armis patriam aggredi parabat; ſed Carnutio tribuno plebis disſuadente, pro patriaque deprecante, veteranis etiam hanc militiam detrectantibus, conſilium mutauit, et cum ſenatu in gratiam rediit. Secures et lictores, ſibi hoc tempore ab exercitu oblatos, recuſauit; ſpecie quidem ſenatui placendi, re autem, quod ipſe aperte confeſſus eſt, ſolicitante maiorum honorum libidine. M. Antonio, partim per M. T. Ciceronis conciones, et Octauiani artes; partim ſua culpa, hoſte iudicato, bellum facere patres decreuerunt, illudque Hirtio et Panſae coss. Octauianoque demandarunt. Victus apud Mutinam Antonius, ſed amiſſis ambobus conſulibus. Adductus in ſuſpicionem Octauianus, tamquam alterum ipſe necauerit in pugnae tumultu, alterum infuſo vulneri veneno peremerit: vt oppreſſo Antonio, exſtinctis conſulibus, ſolus rempublicam occupare, imperiumque rapere poſſet. Mox ſe certe elatius inflatiusque geſſit; nihil iam recti, nihil ſancti, in omnium vicem regni inſatiabilis amor ſucceſſerat. Quare conſulatum incredibili impudentia, et armatis precibus a ſenatu populoque Romano petiit, admouit hoſtiliter vim et aciem vrbi, et in curiam centuriones miſit, qui id honoris ſibi, militari audacia, et nomine exercitus depoſcerent. Quum his patres repoſuiſſent, Octauianum, ab ſe propraetoris imperio et conſularibus ornamentis donatum, altiorem dignitatis gradum protinus aſſequi non poſſe, quia id per aetatem eius et patrias leges non liceret: Cornelius centurio vsque eo furens et effrenatus fuit, vt non dubitaret, ampliſſimo ordini et tot venerandis ſenibus, ſceleſtiſſimo ferro minari, dicereque: hoc faciet, ſi vos non feceritis. Sic tergiuerſantibus et metu perterritis patribus, ipſe cum quinqua-

quaginta millibus armatorum ſuperuenit. Proceſſit obuiam ruenti in patriam filio Attia mater; ſed minime in hoc ſolicita, vt efficeret, quod Volumnia apud Marcium Coriolanum filium effecerat: quia et illa forſitan multum aberat ab ſanctitate Volumniae, et ab Coriolani ingenio Octauianus. Hic enim necdum ſenatoria, multo minus conſulari, aetate, nulla aedilitate vel praetura functus, et vix bina ſtipendia meritus, conſulatum inuaſit. Q. Pedium, ſibi propinquitate proximum, collegam ſibi adiunxit, et ab ſenatu per fas et nefas quinque millenos ſeſtertios extorſit. Illis, qui ſibi in hac iniuſtiſſima petitione aduerſati ſunt, in praeſens quidem, vt opinione omnium clemens duceretur, pepercit, ſed poſtea omnes proſcripſit damnauitque. Eadem ferocia, qua inuaſerat, geſſit conſulatum; multum in libera ciuitate regie ſeu potius tyrannice ſtatuit; Dolabellam, ſceleratiſſimum ciuem, capitis abſoluit; M. Brutum, C. Caſſium, ceterosque I. Caeſaris interfectores, vel potius tyrannicidas et liberatores populi, cauſſa incognita condemnauit; et quum vnus de iudicibus huic iniuſtitiae album calculum adiicere nollet, ipſe capite damnatus eſt. Credebant ciues, Octauianum his peractis reipublicae relaturum eſſe gratiam pro conſulatu aliisque beneficiis; ſed ille e contrario, praeter ſpem et exſpectationem, cito oblitus beneficium, cum M. Antonio, hoſte ſenatus populique Romani, et omnium criminum libidinumque maculis notatiſſimo homine, in ſceleris et tyrannidis ſocietatem coiuit, vertitque arma in patriam, quae in Antonium acceperat. Abducerer ab inſtituto meo, ſi nefanda ſcelera crudeliſſimi huius triumuiratus exponere vellem. Poſſunt de his legi Dio Caſſius, Appianus, Plutarchus aliique. Notemus ſolum memoria, coniuraſſe ſceleratiſſimos latrones de partiendo inter ſe imperio et orbe terrarum, de diripiendis duodeuiginti nobiliſſimis et opulentiſſimis Italiae vrbibus, et de interficiendis ampliſſimis et fortiſſimis quibusque ciuibus. Apud Appianum Alexandrinum, optimum auctorem, et cui ego plurimum de rebus Romanis credo, inuenio, hos tyrannos, trecentos ſenatores et duo millia equitum Romanorum, morti addixiſſe, quorum pau-

pauciſſimos S. Pompeii pietas ſeruauit: et Suetonius, vir in hiſtoria diligens, ſcripſit, Octauianum Caeſarem ſceleris ſui ſocios crudelitate longe ſuperaſſe, et praeter ceteros impotentisſime ſaeuiiſſe, etiam multos nomine et honore illuſtres necari iuſſiſſe, vt eorum vaſis Corinthiacis potiri poſſet; indeque dictum eſſe, patrem ei fuiſſe argentarium, quum ipſe Corinthiarius eſſet. Inſatiata quoque habendi libidine incitati, CCCC nobiliſſimas ditiſſimasque matronas, quarum maritos et liberos necauerant, fortunis ſpoliarunt: immo centum millia hominum nudarunt et de bonis poſſeſſionibusque depulerunt. Et quo crudelius humano generi illuderent, nummos percusſerunt, in quibus inciſae erant tres manus interiunctae, et verba: Salus humani generis. His peractis C. Caſſium et M. Brutum, qui ſoli furorem illorum et effrenatam cupiditatem retardare conabantur, apud Philippos adorti ſunt, et poſtquam vtrimque ingenti caede et plurimo ſanguine pugnatum eſſet, vicerunt. Caſſius et Brutus, acerrimi infelicis patriae propugnatores, libertati ſupereſſe noluerunt, ſed vbi omnia facienda fecerant, deploratis nouiſſime rebus, ſe voluntaria morte captiuitatis contumeliis exemerunt; conqueſtus etiam antea Brutus de iniquitate fatorum, et de inani virtutis nomine. Sequuta hunc eſt vxor, Porcia ſanctiſſima, hauſtis ore ardentibus fauillis; digna magno parente, digna fratre, qui in eodem proelio fortiſſime dimicans ceciderat. Infra dicemus, quanta cum crudelitate et animi impotentia Octauianus Caeſar victos tractauerit. Iam ergo Caſſio et Bruto oppreſſis, in eo iſte omnes ſuos neruos contendebat, vt Antonium quoque et Lepidum opprimeret, quo ſolus dominari poſſet. Sero Antonius cognouit, in ſe hanc fabam cudi: victus enim tandem faſſus eſt, ſe maluiſſe fieri apparitorem Octauiani, quum potuiſſet facere cum Caſſio et Bruto. Vt ergo Octauianus propoſitum ſuum peragere, et voti ſui compos fieri poſſet, nihil antiquius fauore et beneuolentia militum exiſtimauit. Quare multis posſeſſoribus depulſis ſedibus, plurimis oppidis Italicis, immo etiam locupletiſſimis et religioſiſſimis fanis, direptis, pecuniam et agros inter milites diuiſit: fruſtra ſociis et ciuibus lamenta-

bi-

bili voce clamantibus; nullo ſuo peccato, ſe homines Italici nominis pelli aris focisque, tamquam iure belli captos, tantasque aerumnas meritos. L. Antonium, qui forte frenum momorderat, Peruſiae obſeſſum ad deditionem coegit, magiſtratus crudeliſſime necauit, vrbem direptam flammis deleuit. Pari ferme clade Nurſinos affecit, praetexens, milites qui contra ſe militaſſent ab eis publica ſepultura, et inuidioſo epitaphio honoratos eſſe. Victus etiam eſt M. Lepidus, ſiue potius, vti erat ſtupidus et bardus, ſpecie amicitiae deceptus: et S. Pompeius magis technis, quam armis debellatus. Multa in his bellis, quae in praeſens recenſere non liber, Octauianus crudeliter, multa iniuſtiſſime fecit; quandoquidem et ſententia Ciceronis, totius iniuſtitiae nulla capitalior ſit, quam eorum, qui tum, quum maxime fallunt, id agunt, vt boni viri eſſe videantur. Facile tot victorias facere potuit; ſiquidem exercitatas copias, peritiſſimos duces, et in primis M. Agrippam, haud generoſum, ſed bonum militia habuit: immo ipſe conſilio et virtute bellica omnibus praeſtitit. Hoc nobis non debet mirum videri: Iuuenalis dictum eſt:

Fortem animum praeſtant rebus, quas turpiter audent.

Solus adhuc Antonius dominatui et regno eius obſtabat. Sed hunc quoque, Cleopatrae amore emollitum, inuidia apud ſenatum doloſe oneratum, et nuptiis ſororis illectum, facile oppreſſit. Maximo in primis crimini conſuetudinem cum Cleopatra Antonio dedit; ſed hic ei reſcripſit: Quid te mutauit? quod reginam oſculor? vxor mea eſt: nunc coepi, an abhinc annis nouem? tu deinde ſolam Druſillam oſcularis? ita valeas, vti tu, hanc epiſtolam quum leges, non exoſculatus ſis Tertullam, aut Terentillam, aut Rufillam, aut Saluiam Titiſceniam, aut omnes. Sed ſurdo narrauit fabulam: nam illuſtriſſimo proelio ad Actium victus, ſubdolae adfinitatis poenas morte exſoluit. Sic fregit domuitque Antonium Octauianus, tot ſcelerum et criminum ſocium, et tam ſimilem ſibi quam ouo ouum. Verum eſt Iuuenalis oraculum:

Committunt eadem diuerſo crimina fato;
Ille crucem ſceleris pretium tulit, hic diadema.

Dio

Dio Caſſius ſcriptum reliquit, Caeſarem, victo Antonio, imperium deponere, libertatemque patriae reddere voluiſſe, idcircoque Agrippam et Maecenatem conſuluiſſe. M. Vipſanius Agrippa, vnus eques Romanus fortiſſimus, homo ſine fuco et fallaciis, amansque patriae, rogatus ſententiam, non adimendam eſſe penitus patriae libertatem, et reprimendos regios ſpiritus, cenſuit. Sed aliter erat C. Cilnii Maecenatis, hominis mollis, bilinguis et diſſimulantis hac de re ſententia. Hic omnium Octauiani conſiliorum moderator, ſenſum illius pulchre callere didicerat, ſciebatque illum ſpecie dubitantis regnum flagrantiſſime cupere. Adde, quod Maecenas timuit, ne ſenatus a ſe, Octauiano priuato, rationem repoſceret denegatae Lepido defenſionis. His rationibus adductus Cilnius eques, et quum in eandem ſententiam Virgilius poeta loquutus eſſet, Caeſari auctor fuit, vt imperium retineret, probabili in primis argumentatione concludens, depoſito imperio, reddendam eſſe ſenatui rationem tyrannidis et tot ciuium necis. Eiusdem conſiliarii conſilium fuit, vt Caeſar Agrippam vel occideret, vel ei filiam ſuam deſponderet. Sed verum illud verbum eſt, quod vulgo dici ſolet, et quod apud Varronem inuenio: malum conſilium conſultori eſſe peſſimum. Vere illud in Maecenate accidit, et fuit breui poſt perilluſtre. Nam quum Octauianus Caeſar, et vxorem eius L. Terentiam ſtupraſſet, et affinem Muraenam, illo fruſtra pro amiciſſimo capite deprecante, necaſſet, eique hanc gratiam pro vtiliſſimo conſilio retuliſſet; factum eſt inde, vt impulſor iſte et auctor tyrannidis ſceleſti conſilii poenas penderet, et proprio periculo experiretur, quid diſtent libertas a tyrannide et conſulatus a regno. Erat Maecenas homo inter pectinem ſpeculumque occupatus, et anſeris medulla mollior; mel et deliciae tamen Octauiani Caeſaris. Illius eſt iſtud tam turpe, tam eneruatum, tam languidum et tam molle votum:

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa:
Tuber adſtrue gibberum,
Lubricos quate dentes:

Vi-

Vita dum ſupereſt, bene eſt.
Hac, mihi vel acutam
Subdas, ſuſtineo, crucem.

Poſſunt plurima de hoc effeminato homine et de portentoſa illius dicendi ratione in libris L. A. Senecae legi, quae ideo non refero, ne aliis verbis ponam, quae a Seneca dicta ſunt. Caeſar Maecenatem, etſi incertum erat, regio genere, an ſeruili, natus eſſet, ante omnes ſenatores nobilesque in ſummo honore habuit, et, ſe abſente, ſenatum populumque Romanum regendi, illi poteſtatem, quaſi quaſdam habenas, tradidit. Si priſci illi et cincturi, vti illos Horatius vocat. Quinctii, Fabricii, Metelli, Aemilii, Catoneſque reuixiſſent, obſtupuiſſent certe, videntes, hunc dictatorem, diſcinctum petenti tribuno ſignum dare, et fracto inceſſu, cum delicato ſpadonum comitatu, per vrbem incedere. Sed haec hactenus; redeamus ad Caeſarem. Hic cuncta, diſcordiis ciuilibus feſſa, conſeruatis magiſtratuum vocabulis, nomine principis ſub imperium accepit, adeo immoderata infinitaque poteſtate, vt ſalus et fortunae ciuium in manu eius eſſent, vt, vitae necisque gentibus arbiter, nationes funditus euertere, ex regibus mancipia, et ex mancipiis reges facere, poſſet. Ad confirmandum hunc Phalariſmum ſtipatores corporis ſui conſtituit, ſceleratamque domum cuſtodibus et praetoriis cohortibus ſepſit. Hi fidiſſimi dominatus et ſcelerum ſatellites, hi fuerunt, qui tandem Romanum nomen delerunt, euerteruntque funditus ciuitatem, omnium quae vmquam fuerunt, aut ſunt, aut erunt, clariſſimam. Octauianus, accepto imperio, vt erat in ſumma infamia glorioſus, tamquam renouaſſet vrbem, nomenque Romanum conſeruaſſet, Romulus appellari geſtiuit: ille ipſe ſcilicet, qui terrarum orbem ciuili ſanguine impleuerat, deteſtandis infauſtiſque victoriis maria infecerat, et tot millia ciuium fortunis omnibus euerterat. Nihilo ſecius tamen Auguſtus appellatus eſt. Adprobauit hoc nomen ſuo aſſenſu, vtpote ſanctum et venerabile. Paſſus quoque eſt, ſe templis per flamines et ſacerdotes coli: et vt haec diuinitas e vultu eius intelligeretur, nemini licuit intente et acrioribus oculis illum

illum intueri. Omnium ſacratiſſimum delubrum huic monſtro deorum Lugduni dedicatum eſt, ad quod ſexaginta nationes conuenire ſolitas eſſe, Strabo, qui illis temporibus vixit, ſcriptum reliquit. Lepidiſſime Petronius dixit, ſuam regionem tam praeſentibus plenam eſſe numinibus, vt facilius poſſis deum, quam hominem inuenire. Geſſit Octauianus bella, Dalmaticum, Cantabricum multaque alia, quam iuſte, aut qui fortiter, nihil attinet disputari. Melite certe et Corcyra inſulis captis, impuberes, a qua aetate crudeliſſimi hoſtium abſtinere ſolent, omnes necauit; ceteri, gente vniuerſa exciſa, venierunt. De omnibus eius bellis longum eſt dicere. Prohibebant leges Romanae, ſeruos tormentis cogere ad dicendum teſtimonium in dominos. Octauianus, qui non id agebat, vt ciuitas beata et honeſta, verum vt ſua tyrannis firma eſſet, aliquam cauſſam quaerebat, quamobrem hanc legem, quae ad ſua commoda minime faciebat, fraudare vel abrogare poſſet. Succeſſit ex ſententia; ſalus publica obtentui ſumpta, ſancitumque, vt ſeruus veniret, antequam quaeſtioni daretur. Tulit quoque legem de adulteriis, Proculumque libertum, huius criminis conuictum, mori coegit. Sic aliis vitiis iraſcebatur, quaſi inuideret, et grauiſſime puniebat, quos maxime imitabatur. Nam quomodo hic, omnium libidinum ſeruus, cum Terentia aliisque adulterium fecerit; quomodo filia eius forum et roſtrum, ex quibus ille hanc legem tulerat, ſtupris polluerit; quomodo aedes illius, propter ſuas et filiae libidines, magis ad lupanaris quam ad domus auguſtae ſimilitudinem acceſſerint: notius eſt hominibus litteratis, quam vt narrari nunc debeat. Pulcherrime Iuuenalis, cuius ego ſingulos verſus, ſingula teſtimonia puto:

> Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?
> Quis caelum terris non miſceat, et mare caelo,
> Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni,
> Clodius accuſet moechos, Catilina Cethegum,
> In tabulam Sullae ſi dicant diſcipuli tres?

Etſi erat Caeſari iam inde a puero Seruilii Iſaurici filia deſponſa, tamen hac ſpreta, Claudiam duxit, P. Clodii et foedisſimae Fuluiae filiam. Et huic nuntium remiſit, Scriboniamque ſibi matrimonio iunxit. Hac quoque, quantumuis caſta, foecunda, et ornatiſſima femina, repudiata, quia liberius (quod Antonius Octauiano obiecit) doluiſſet nimiam potentiam pellicis: Tiberio Neroni, quum propter ſuam potentiam nullius conditionis non haberet poteſtatem, Liuiam Druſillam ademit, ex ſe per adulterium grauidam; et conſulti pontifices, an, concepto necdum edito partu, adultera moecho rite nuberet? Haec improba et inteſtabilis femina plurimum apud Octauianum gratia valuit, quam in primis turpiſſimis lenociniis aucupabatur. Conſtans rumor poſt mortem Octauiani dilatus eſt, properaſſe illam, quemadmodum Thebe Pheraci tyranni, mariti mortem, vt eo certius Tiberius filius ſuus, teterrimum poſt homines natos et ſpurciſſimum caput, regno potiretur. Hanc ob cauſſam quoque mariti ſui nepotes, et ſubſidia dominationis Marcellum, Caium, Lucium et Agrippam, hunc relegauit, illos veneno ſuſtulit. Scelera quae haec impotentiſſima mulier poſt mortem mariti (euius tum ſacerdos facta erat, quum antea lena fuiſſet) effecit, in annalibus C. Taciti legi poſſunt. Suſtulerat Octauianus ex Scribonia filiam, cui nomen Iuliae erat, quae notiſſimum libidinis effrenatae exemplum euaſit, et vnde ille ſe maximam plagam accepiſſe credebat. Nam haec filiola, iactans Octauiani ſoboli omnia licere, gregatim adulteros admittere, per vrbem et luſtra cum ſcortatorum cohorte comiſſabunda noctu incedere, proſtare in fornice, et inde vltima abire, conſueuerat. Hanc ducere et Marcellam Octauiae ſororis ſuae filiam repudiare Octauianus M. Vipſanium Agrippam coegit. Hic ex illa ſuſcepit Caium et Lucium, qui patrem ore referebat, quamuis matrem non vni tantum ſuccubuiſſe, notiſſimum erat. Sed illa, non ignara phyſicorum, non niſi plena naui ſe vectorem ſuſtuliſſe, cauſſata eſt. Agrippa mortuo, collocata eſt a patre priuigno Tiberio, qui coactus vxorem praegnantem, Agrippae filiam, dimittere. Non ab re mihi eſſe videtur, inſignis iniuſtitiae

ex-

exempli mentionem facere, antequam de ceteris Octauiani vitiis dicam. Erat ei libertus, cui Licinio nomen, qui apud illum in magna gratia fuit, et qui idcirco amplam occaſionem nactus magnas pecunias faciendi, illas interdum Octauiano, opera publica facienti, conferre ſolebat. Qua ex re maioribus rebus, et tandem e ſeruo Galliae praefectus eſt. Suſcepta prouincia, omnium bipedum nequiſſimus, nihil niſi rapinas, fraudes, caedes et ſcelera cogitauit; annum in quatuordecim menſes doloſe deſcripſit, vt eo ſaepius Galli menſtrua tributa pendere cogerentur; multos reſiſtentes, argento emunctos, necauit; totamque prouinciam ſpoliauit et depeculatus eſt. Queſti ſunt Galli apud Caeſarem de tam grauibus iniuriis, crudelitate et auariſſima rapacitate praefecti. Promiſit iſte, ſe velle a ſcelerato homine poenas repetere: ſed, vt erat homo pecuniae, quam recte faciendi, cupidior, poſtquam illi Licinius iniuſtiſſime corraſam pecuniam ſponte obtuliſſet; confirmauit crudele mancipium in prouincia, miſerosque Gallos ſub cultro reliquit, et ſub imperio immaniſſimi praefecti, ſiue potius hirudinis, quae ſine dubio non miſit cutem niſi cruoris plena. Tanta Caeſaris, tanta Romanorum, tanta huius mancipiii, quid dicam, neſcio. Et quid profecto hoc Octauiani facinore tetrius, miſerius, deteſtabilius excogitari poteſt? et

Quid fecit dominus auſus quum talia fur ſit?

Regnauit poſtea hic nebulo multos annos Lugduni, et in illum dictum eſt:

Marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato nullo,
Pompeius paruo; quis putet eſſe deos?

Iam ex illis, quae diximus, intelligere licuit, Octauianum Caeſarem multa nefarie, multa crudeliter feciſſe: nunc tamen ſpeciatim crudelitatem eius paucis complectemur. Probaui ſupra Suetonii teſtimonio, illum in triumuiratu ſe crudelius ceteris geſſiſſe. Firmiſſimum huius rei argumentum mors C. To-

Toranii eſſe poteſt. Hic vir ſapiens et honoratiſſimus, familiariſſime et amiciſſime cum patre Octauiani vixerat; a quo tutor huic relictus, puerum ab ineunte aetate liberaliter educauit, atque amore officiisque omnibus proſequutus eſt, ignarus ſe natricem enutriuiſſe. Necauit enim Octauianus hunc benignum altorem crudeliſſime. Quid vero dicam de caede viri clariſſimi M. T. Ciceronis? Vtinam non cogerer hanc iam obductam eloquentiae cicatricem in praeſens commemoratione mea refricare, atque iterum vtinam! Erat Cicero princeps Octauiani fautor, eius exiſtimationis ſtudioſiſſimus, immo etiam ceteris auctor ad eum adiuuandum. Ille nomen eius de meliore nota ſenatui populoque Romano in orationibus ſuis Philippicis commendauit, clariſſimum adoleſcentem et fortiſſimum puerum ſubinde appellando. Ex hac commendatione et illo ſuaſore et impulſore ſenatus tot diſpenſationes, tot priuilegia, tot honores Octauiano decreuit. Sed hic vafer et inter ſummam vitiorum diſſimulationem vitioſiſſimus, Ciceroni quidem blande palpabatur, et ſibi patriam in eo colendo conſtituiſſe ſanctitatem dicebat: re autem vera illi verba dare ſtudebat. Non pertuliſſet hic parens litterarum et eloquentiae miſerrimum ſupplicium, ſi Epicharmium illud, quod alias ſemper in ore habuit, et quo docetur, neruos ſapientiae eſſe, non temere credere, nouiſſime apud ſe penſitaſſet. Pependit miſer credulitatis ſuae grauiſſimas poenas, permiſſus ſimul cum filio, fratre, fratris filio et amicis omnibus, ab Octauiano, crudelitati Antonii, et rabidae impuriſſimaeque Fuluiae. Sed nihil fecit Octauianus: quem vita, neceſſitudinibusque priuauit, hunc fama et exiſtimatione priuare non potuit. Nomen Ciceronis, quod iam inde ab illius fato non hominis, ſed eloquentiae, habetur, nulla vmquam vetuſtas obruet, nulla delebit obliuio; eritque ſemper ſummi oratoris, diuinam eius eloquentiam, non aemulatione, quod fieri non poteſt, ſed intellectu ſequi. Contra ea iuit et ibit in ſaecula, Octauianum impium et ingratiſſimum fuiſſe, totque beneficia crudeli morte Ciceroni compenſaſſe. Non multum poſt hanc proſcriptionem in crudelitate ceſſauit. Captos ad Philippos ſenatores equi-

tes-

teſque Romanos, et in illis praeſertim M. Fauonium, virum ſanctum et fortiſſimum, omnes trucidauit; crudeliſſimam caedem contumeliis et verborum atrocitate augendo. Quum vnus ex illis inſtantem tyrannum miſerrime rogaret, vt ſibi ſaltim mortuo ſepulturae locus daretur: iam iſtam volucrum fore poteſtatem, acerbiſſime reſpondit. Duo ſenatores, patrem et filium, vitam et veniam precantes, ſortiri iuſſit; patrem, id acriter renuentem, et ſe vltro pro filio morti offerentem, ſine mora necauit; filium vero, patri ſupereſſe nolentem, ſibi ipſi mortem conſciſcere paſſus eſt. Quid in hoc nefario facinore clemens, quid principe dignum, quid auguſtum videre licet? Sed fecit his peiora. L. Antonio victo, non ſolum Peruſiam deleuit, et in incolis nefandiſſima quaeque tyrannicae crudelitatis exercuit, ſed etiam, incredibilem in modum, ad aram I. Caeſaris, veluti ad illam deteſtabilem immaniſſimi Buſiridis, trecentos ſenatores equitesque Romanos mactauit, parentans tam generoſo ſanguine manibus trucis tyranni: et, vt erat egregius Marii imitator, miſericordiam implorantibus, vna et ferali voce occurrebat: moriendum eſſe. Alexandria capta, Curionem aliosque ſenatores et equites Romanos occidit; nec non etiam Antillum, Antonii triumuiri filium, Iuliaeque filiae ſuae ſponſum: Caeſarionem, I. Caeſaris filium, admodum adoleſcentulum, et

> Impube corpus, quale poſſet impia
> Mollire Thracum pectora,

fruſtra ad aram patris, et ad ſuam miſericordiam confugientem, ab altari abstractum, interfici iuſſit. Quum apud tyrannos nulla ſtabilis beneuolentia, ſed omnia ſuſpecta ſolicitaque ſint; minime mirum nobis debet videri, nec amicos, nec neceſſarios ab huius tyrannide tutos fuiſſe. De Maecenate ſupra commemoraui. M. Vipſanium Agrippam, cuius in ipſum merita innumerabilia erant, ſed quae omnia ad nihilum venerant, ſat dure habuit, idcircoque Mytilenas ſecedere coegit. Obiit etiam non ſine veneni ſuſpicione, quandoquidem

obuoluto capite elatus eſt, ne liuor appareret. Agrippam certe ſummum taedium miſerae ſeruitutis cepiſſe, vel caeco quidem apparere potuit. Sed ſua culpa hoc factum eſt; ſi enim Sophocleum illud tenuiſſet, ingenuum in domo tyranni ſeruum fieri, Octauiani partibus ſe non miſcuiſſet. Fertur etiam, Octauianum Druſum filium, multis triumphis et honoribus inſignem, veneno necaſſe; quod ab hoc aperto pectore admonitus eſt, vt populo Romano libertatem redderet. Huic ſimilis cauſſa interitus Cornelii Galli et SaluiDieni Ruffi, hominum de complexu et ſinu eius. Hunc ex ſeruo conſulem fecerat; ſed, quod non ſatis commodis eius ſeruiret, ſubito capitis damnauit. Illum, poetam ingenioſum, et Aegypti praefectum, quod forte de ipſo liberius inter pocula dixerat, vera audire inſuetus, pariter leto affecit. Sed habet forſitan haec crudelitas aliquid excuſationis, non iuſtae quidem, ſed probabilis. At quis Octauiani fautor tam inepte eſt, vt non fateatur, eum crudeliſſime et tyrannice cum T. Pinario, equite Romano, egiſſe? Hunc, virum ex ſententia Ciceronis honeſtiſſimum, et omni culpa carentem, confodi iuſſit. Quid vero dicemus de nece Q. Galii, viri ſummo ſplendore et ſummo munere praeturae honorati? Venerat ad Octauianum ſalutatum, ſed quum ſub veſte tabellas ſiue palinxeſtum haberet, ille ſe ſicam teri, ſimulans, incolumem quidem ab ſalutatione dimiſit, ſed mox ex tribunali per milites abreptum, equuleo impoſuit; et quum eum crudeliſſimis tormentis ad falſi quid confitendum cogere non poſſet, manu ſua illi oculos effodit; tandemque excruciatum et ſemiuiuum necauit. Quid Phalaris, vel Alexander Pheraeus crudelius feciſſet? Cuius vmquam cruciatu Nero oculos immanius pauit? Haec ſunt Octauiani, diui et auguſti facta, et ſic iſte, quem multi Chriſtianorum delicias humani generis ducunt, tam facile homines occidebat, quam canis exta edit. Nihil dicam de morte Tedii Afri, Fabii Maximi, aliorumque, ne nimis longus ſim. Rapuit tempus ſummorum ciuium nomina, qui needum aſſueti frenis ſeruitutis cum Lepido iuniore, L. Varrone, Fannio Caepione, M. Ignatio, Plautio Rufo et L. Paullo a liberis ceruicibus ſeruile iugum

gum deiicere, et tyrannum tollere voluerunt; vtpote quem credebant, cum ſumma gloria interfectoris interfici poſſe. Ratione harum conſpirationum reſtinguendarum, multas nobiliſſimas domos ab Octauiano afflictas eſſe, facile credere poſſumus. Hic, ceterique tyranni Romani, ſiue potius monſtra, innumerabili ciuium ſtrage effecerunt, vt annalium fides laboret, vt Romae tot numeroſas familias, et ipſam vrbem tam celebrem et copioſam fuiſſe credamus. Etſi nullus clarior et generoſior ſanguis Romano eſſe potuit, tamen Octauianus, tunc demum ſe vere felicem fore, (quod de Sixto V. vno ex ſucceſſoribus eius in tyrannide Romana dicitur) atque eam demum magnam voluptatem eſſe duxit, manus ſuas in regio ſanguine lauare poſſe. Quare Alexandrum Arabum regem, poſt triumphi ludibria, ſecuri percuſſit; eodemque ſupplicio affecit Antiochum, Comagenae regem, ad ſe ſubdole euocatum. Sed forte hic ſanguis Romanis viliſſimus erat; at quis generoſior Tulio Antonio fuit? Hunc, multosque alios nobiles pro adulteris filiae ſuae iugulari iuſſit; quum ipſe fons et cauſſa libidinum Iuliae ſuae eſſet:

Scilicet exſpectas pater vt tibi tradat honeſtos,
Aut alios mores, quam quos habet?

Immo Ouidius Naſo nobis in aurem inſuſurrare videtur, patrem cum filia ſe inceſto flagitio polluiſſe: et hoc certe poſtea C. Caligula perſuaſiſſimum habuit. Ego vero certiſſimum habeo, Octauianum Caeſarem in ſtupris et adulteriis nulli ſecundum fuiſſe. Exprobrauit illi Antonius, I. Caeſaris adoptionem Romanumque imperium ſtupro meruiſſe, et delibata ab auunculo pudicitia, ſe A. Hirtio CCC. millibus nummum in Hiſpania ſubſtraſſe. Haec neque refellere, neque adfirmare operae pretium eſt: probabilia tamen eſſe poſſunt. Quem enim fugit hoc deteſtandum crimen id temporis vſitatiſſimum et quotidianum fuiſſe? Multae ciuitates Graeciae illud legibus comprobarunt, et quid erat apud Thebanos ſacrata amantium cohors? Romani id crimen in liberto officium, in ſeruo

uo neceſſitatem dicebant. Diuum Iulium, eumdemque pathicum maximum ſane et clariſſimum numen, cum Nicomede aliisque coire conſueuiſſe, notiſſima erat Romae lippis et tonſoribus fabula. Sed vt eſt; Suetonius certe, vt eſt in omni hiſtoria curioſus, memoriae prodidit, populum Romanum publice teſtatum eſſe, in Octauianum Caeſarem hunc verſum dici poſſe:

Videsne, vt cinaedus orbem digito temperet?

Notus eſt etiam Sarmentus quidam, delicium eius. Virginum et intactae ceruicis iuuencarum eum appetentiſſimum fuiſſe, ſaepiusque alienos lectos temeraſſe, nec amici eius negarunt. Euenit aliquando, vt, depoſito poſt vina roſasque pudore, formoſam mulierem, e ſinu gremioque mariti, conſularis et ſecum coenantis, palam abſtractam, ſeduceret; tum

Speluncam Dido dux et Traianus eamdem
Deueniunt. Prima et tellus et pronuba Iuno
Dant ſignum: fulſere ignes, et conſcius aether
Connubii: ſummoque vlularunt vertice Nymphae.

Reduxit matronam in conuiuium cum recentibus laſciuiae et peractae libidinis notis: quae vtpote redierat,

Humida ſuſpectis referens multitia rugis,
Vexatasque comas, et vultum auremque calentem.

Secretas et voluptuarias coenas, quas non nulli de noſtris principibus, patrum memoria, egregie imitati ſunt, illi hi verſus exprobrarunt:

Impia dum Phoebi Caeſar mendacia ludit,
Dum noua diuorum coenat adulteria;
Omnia a terris tunc numina declinarunt;
Fugit et auratos Iuppiter ipſe toros.

Habet etiam Octauianus illam moleſtiam, quod Martialis verſus eius molliculos, (quos hic recitare nobis nec per aetatem, nec per religionem noſtram licet) ad memoriam poſteritatis, et ad excuſanda obſceniſſima ſua, conſeruauit.

Con-

Confido, his nos breuiter et diſtincte demonſtraſſe, Octauianum Caeſarem tyrannum et Auguſti cognomine indignum fuiſſe. An diuus ſit neſcio; homo non eſt. Fatendum nihilo ſecius tamen eſt, eum et Iouem maximum impudicitia, et Vulcanum adulteriis, et Mercurium fallaciis longe multumque ſuperaſſe. Quare merito in tam egregiorum deorum numerum relatus, arisque et ſacerdotibus honoratus eſt: quum iam praeſertim Romanis moris eſſet, monſtroſiſſimo cuique reipublicae portento hunc honorem decernere, et Octauianus ſibi iam diu innumerabili ciuium caede diuinitatem peperiſſet. Non defuit ei pietas Numerii Attici, viri praetorii et religioſi, priſcisque illis Romanis digniſſimi, qui, acceptis a Liuia vicies LLS. iureiurando publice firmauit, ſe effigiem cremati Auguſti euntem in caelum vidiſſe. Contra ea, neſcio quis, litteris prodidit, diuum Auguſtum, quum in Olympum aſcendere voluiſſet, furcillis praecipitem eiectum eſſe. Nos eam rem in medio relinquimus. Inquiramus potius, quibus rationibus homines adducantur, vt Octauianum Caeſarem bonum principem et indulgentem dominum credant. Primum plurimi noſtra tempeſtate Graecas Romanasque hiſtorias vel plane negligunt, vel, neſcio qua compendiaria via, ad illarum cognitionem peruenire ſtudent; non Graecos Latinosque auctores verſantes, ſed minutulos quosdam hiſtoricos, ex quibus numquam accurate diſcere poſſunt, qui fuerit et qui vixerit Octauianus. Hic deinde ſubdolus virtutum ſimulator ac diſſimulator, adeo crimina ſua multis virtutibus occulere, et adeo opportune crudelitati clementiam intermiſcere norat, vt in praeſens vix diiudicari poſſit, magisne eluxerit virtutibus, an magis vitiis obrutus fuerit. Nihilominus tamen diligentem vitae eius exactorem fugere minime poteſt, eum quidem ſummam crudelitatem non numquam clementia emendaſſe, et inuidioſiſſimam tyrannidem humanitate texiſſe; re autem vera virtutem ne de facie quidem nouiſſe. Quum crudeliſſimis animaduerſionibus efficere non poſſet, quo minus contra ſe coniurationes fierent: in conſpiratione Cinnana, conſilium callidiſ-

ſimae vxoris ſequutus, poteſtate ſua clementiſſime vſus eſt. Et quum ob mortem Ciceronis ſumma infamia argueretur, vt ſe illa liberaret, filium eius, qui crudelitati ſuae euaſerat, in gratiam recepit, conſulemque declarauit. Sic etiam ex Antonii liberis alteros necauit, alteris etiam proſpexit: quo vero tempore huius ſtatuas deiecit, eodem quoque illi ſepulturae honorem decreuit, Pompeiique ſtatuis pepercit. Nec Cleopatram ſepeliri vetuit; ſed eius ſtatuae magno pretio vix redemtae ſunt. Statuas imaginesque M. Bruti amicis et neceſſariis eius permiſit; caput tamen eius relatum ludibrio habuit. Quis vmquam callidius virtutes cum vitiis et crudelitatem cum clementia commiſcuit? His artibus tamen virtutis et clementiae famam ſibi peperit:

Fallit enim vitium ſpecie virtutis et vmbra.

Adde huc, quod terrarum orbis bellis ciuilibus feſſus, et latrociniis praedationibusque Dolabellae, Caſſii, Pompeii, Antonii et huius ipſius Octauiani, aliorumque diuexatus, praepotentem dominum, qualiscumque ceterum eſſet, magnopere deſiderauit, vnique potius, quam multis ſeruire maluit. Sic Octauiano fortuna pro virtutibus fuit; quum praeſertim populum Romanum (vt Seneca ſcripſit) eo redigerat, vt ſaluus eſſe non poſſet niſi beneficio ſeruitutis. Ipſe Dio Caſſius, magnus alioquin Octauiani praedicator, faſſus eſt, hunc, ſibi tanti nominis famam magis felicitate, quam virtute peperiſſe. Idcirco illi aliquando nauitae Alexandrini acclamarunt; per illum ſe viuere per illum nauigare, libertate atque fortunis per illum frui. Sed hinc quoque illae lacrimae apud Claudianum:

Armatis quondam populis, patrumque vigebam
Conſiliis, domui terras, hominesque reuinxi
Legibus, ad ſolem victrix vtrumque cucurri.
Poſtquam iura ferox in ſe communia Caeſar
Transtulit, elapſi mores, deſuetaque priſcis
Artibus, in gremium pacis ſeruile receſſi.

Bo-

Bonus porro princeps Octauianus videtur, ſi cum illis immaniſſimis foediſſimiſque monſtris Tiberio, Caligula, Claudio, Nerone, Domitiano aliisque confertur: ſed et iſti non nulla bene ordinarunt, et numquam exſtitiſſent, ſi ille imperium non rapuiſſet. C. Tacitus, diſertiſſimus conſul et prudentiſſimus hiſtoricus, memoriae tradidit, Octauianum, quoniam Tiberii arrogantiam ſaeuitiamque perſpexerat, hunc ſui ſucceſſorem reliquiſſe, vt comparatione deterrima ſibi gloriam parere poſſet. Faciunt poſtremo plurimum ad laudes Octauiani Virgilii, Horatii, Ouidii, aliorumque poetarum ſcripta. In his ille laudibus ad aſtra fertur; et quum, a primis temporibus aetatis, hos diuinos poetas magni aeſtimare merito docemur, facile laudibus Octauiani conſueſcimus. Sed deberemur quoque a pueritia doceri, poetas venale ſaepius genus eſſe, illisque et pictoribus omnia licere, atque Martialem non tantum Traianum ſed etiam Domitianum laudaſſe. Certum eſt, Virgilium poenituiſſe, quod tot laudibus Octauianum affecerat, poſtquam hic ei amiciſſimum C. Gallum de complexu eius ad mortem rapuiſſet. Horatius pulcherrima de Octauiano dixit, vt ei fidem faceret, ſe vere et ſerio M. Bruti partes deſeruiſſe: et praeterea philoſophia eius in culina Maecenatis fuit. Ouidius multis immoderatis laudibus Octauianum cumulauit, et cumulaſſet pluribus, ſi plura ſciuiſſet, et ſi illi ex Ponto redire licuiſſet. Sed quid multis? quem praeterit, qui tempora et faſtos mundi euoluit, plurimos tyrannos et malos principes ad poetas, hominesque litteratos confugiſſe, illosque magnis muneribus affeciſſe, vt ſe per ſcripta doctiſſima poſteritati commendarent. Notiſſimum eſt praeſertim in hiſtoria Gallica huius rei exemplum. Nos ergo de C. Caeſare Octauiano meliora edocti, eum quidem callidum, prudentem et fortem principem, ſed etiam ingratum, laſciuum, iniuſtum, crudelem et impotentiſſimum tyrannum fuiſſe credamus. Plutarchus memoriae prodidit, moribundum Brutum dixiſſe: ſe quidem merito poſſe maleficam et indignorum fautricem fortunam iniuſtitiae accuſare,

ſare, ſeque infelicis patriae caſum dolere; nihilominus tamen ſeſe feliciorem victoribus ſuis aeſtimare; etenim ſe famam virtutis relinquere, quam Octauianus et Antonius, neque innumerabili exercitu, neque grandibus diuitiis, ſibi vmquam parare poſſint; illos enim impedire non poſſe, quo minus poſteri dicerent, illos, ſceleratos et impios, viciſſe integerrimos et ſanctiſſimos viros, ſceleſtiſſimeque patriae libertatem ademiſſe. Praedixit, vt vates, futura vir fortiſſimus. Nam ingenui et virtute praediti homines hunc vltimum Romanorum numquam niſi honorificentiſſime appellabunt; illos vero tyrannos et oppreſſores libertatis patriae in aeternum exſecrabuntur. Et certe profecto, non magis amicum tyranno, quam tyrannidi, illum eſſe oportet, qui Octauiani dominatum laudare, in animum poteſt inducere.

III.

III.
EPISTOLAE.

Digitized by Google

I.

SPLENDIDISSIMAE CELEBERRIMAEQVE

SOCIETATI LATINAE,

QVAE IENAM ORNAT,

S. P. D.

CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, D.

MAgna dignum laude eſt, Viri eruditiſſimi elegantisſimique, partim etiam celeberrimi, quod generoſis animis haud ita pridem conſpiraſtis ad linguam Latinam tanto ardore colendam, vt Veſtro exemplo inflammentur Academici iuuenes, et inclitum illud Ienenſe Muſeum numquam non habeat, qui partim ſcribendo, partim docendo Romanum illum ſermonem conſeruent nitidiſſimum. Eſt ſane Latina lingua firmisſimum aduerſus babariem propugnaculum, ac non teteſtimonia ſolum ſapientiſſimorum hominum, ſed et plurium aetatum exempla docent, frigente huius linguae ſtudio reli-

quas

Digitized by Google

quas quoque litteras tendere ad interitum. Macti igitur eſtote, Fautores ſummopere colendi, Veſtro hoc conſilio, et, quod felix fauſtumque DEVS eſſe iubeat, pergite communem illam litteratorum hominum linguam Veſtro exemplo reddere amabilem: pergite, inquam, et ipſi florere laude Romanae eloquentiae, et aliis quoque duces Vos praebere ad litteratam illam linguam haud perfunctorie exercendam. Laudandi et eo nomine mihi eſtis, quod exteros quoque Veſtrum cooptare in collegium dignamini, atque in laboris iuxta laudisque ſocietatem venire vultis alios, quos iudicatis vel amatores eſſe huius linguae vel etiam cultores ſtrenuos. Ac me etiam honore hoc affectum eſſe, ſolide gauderem, ſi Veſtro dignus mihi viderer iudicio. At nimis bene me noui, nec parem me agnoſco exſpectationi Veſtrae. Etſi enim, vt pure ſcriberem ac perſpicue, ſemper mihi curae fuit; elegantiam tamen ſermonis, praecipuum illud eloquentiae decus, et verba papauere ac ſeſamo ſparſa ingenioſioribus relinquere coactus fui, magisque otioſis. Nec tamen ideo recuſo fieri Veſter, ſed meum iudicium Veſtro poſtpono perlibenter. Habetis igitur me collegam Veſtrum, ſed ea conditione, vt inter Latini ſermonis cultores locus mihi aſſignetur vltimus. Sat magnae mihi laudi erit, adſcriptum eſſe ciuitati Veſtrae Latinae: atque ita interpretor voluntatem Veſtram, qua eſſe me vultis Membrum Veſtrae Societatis honorarium. Quem vero fauorem ea re mihi oſtendiſtis, eum vt couſeruetis omni tempore, etiam atque etiam rogo. Vale, SOCIETAS ſplendidiſſima, DEOque prolixe fauente incrementa cape in dies illuſtriora. Ienae III. Ian. CIↃ IↃ CC XXXVII.

II. VI-

II.

VIRO NOBILISSIMO, DOCTISSIMOQVE

CHRISTIANO HENRICO ECKHARDO

SOCIETATIS LATINAE AB EPISTOLIS

IO. MATTHIAS GESNERVS

S. P. D.

VEreri incipio, ne aliter, quam velim, accipiatur ſilentium meum, longius quam ſperabam productum, et ſera gratiarum actio ob ſignificatum mihi litteris Tuis et adiuncto diplomate Latinae Societatis, id eſt, ornatiſſimorum hominum, et bene merentium de litteris, quibus debeo omnia, iudicium. Sed idem ſpero, vel ipſa haec tempora Academiae noſtrae, vel alia, quae vndique me circumſtant negotia, tarditatis huius cauſſam apud iudices praeſertim tam aequos ſuſtinere poſſe. Meditabar equidem paullo accuratiorem epiſtolam, quae reſponderet ex aliqua parte honorificentiſſimae Veſtrae in me voluntati, cui praeterea adiungerem aliquid earum, quae ſub incude ſunt cum maxime, ſcriptionum noſtrarum. Sed cum haec ipſa res moram habitura longiorem eſſet; nolui committere tacendo diutius, vt vel parum intelligere vel aeſtimare honorem Veſtrum viderer. Quae cum ita ſint, illud TE rogo, Vir Nobiliſſime Doctiſſimeque, vt gratias nomine meo conceptiſſimas tum Illuſtriſſimo Praeſidi noſtro, tum Directori Clariſſimo, et Sociis doctiſſimis, quorum ſuffragio probatus ſum, agas, et haberi a me confirmes: deinde, cum ipſe TIBI primum perſuaſeris, tum ipſis quoque perſuadeas, nomineque meo recipias, tam gratam mihi eſſe voluntatem Veſtram, quam quod maxime; neque quidquam mihi fore iucundius idonea occaſione adiuuandi honorem vel incrementa Societatis, cui me adſcriptum eſſe gaudeo: idque vt omnes ſocii, Tuque in primis, Vir Nobiliſſime Doctiſſimeque, intelligatis, me ſedulo elaboraturum. Vale, et litteras noſtras orna diutiſſime feliciſſimeque. Scrib. a. d. VII. October cIↃ IↃ CCXXXVII in Academia Georgia Auguſta.

III.

ILLVSTRISSIMO COMITI PRAESIDI EXCELLENTISSIMO SPECTATISSIMO DIRECTORI ATQVE CLARISSIMIS SOCIIS VNIVERSIM OMNIBVS

S. P. D.

MATTHIAS BELIVS, V. D. M.

HISTORICVS PATRIVS, ET REGIAE SOCIETAT. SCIENT. BEROLINENSIS COLLEGA.

TAmetſi inopina mihi accidit, neque vllo meo merito prouocata, honoris illa dignatio, qua me, VIRI OPTIMI, ornandum exiſtimauiſtis; accepi eam tamen, non minus gratus, quam cum inſigni quadam animi voluptate: non, quod gloriae cupiditate ducerer: quippe quam, et quum maxime ſolida eſt, numquam per ſe expeti oportere iudico; ſed quia intelligebam, totum illud beneuolentiae genus, ſignificationem eſſe, VESTRAE, de ſtudiis meis, opinionis, et iudicii: quod adſpernari velle, anguſti fuiſſet animi, et alieni a praeclara cogitatione. Quam ob rem, quum VESTRA haec bonitas, ita me deprehendit animatum; nihil mihi, dum vita ſuperabit, antiquius fore, credatis velim; quam vt, pro rerum, quae me, in hac barbarie, circumſtant, vario habitu, teſtatum identidem faciam, beneficium, VOS, in hominem contuliſſe, non tam latinum, quam amantem latinitatis. Atque haec quidem pro me ſpondeo. Quod autem, filium ſimul, Carolum Andream, Athenarum VESTRARVM, qualemcunque ciuem, et inter latini ſermonis tirones, ſuo merito cenſendum adhuc, in ſociorum numero, relatum voluiſtis, id equidem, cum ſingulari in eum propenſioni, tum in primis, mirificae prudentiae VESTRAE, in acceptis fero:

ro: quando penitus aduerto, pulcherrimo hoc honore, calcar VOS ſubdere voluiſſe adoleſcenti, remiſſius forte, quam fert parentis exſpectatio, ad caſtae latinitatis opes comparandas, elaboranti. quas ille conſilii VESTRI rationes, ſi, pro eo, ac decet, in rem ſuam verterit; quod et ſolerter facturum confido; habebit profecto, cur, et VOBIS gratam mentem obſtringat perpetuo, et ſibi, felicitatique ſuae, gaudeat; quod in doctiſſimorum Virorum ſocietate, et tirocinia latinitatis ponere, et documenta eloquentiae dare poſſit. Valete, VIRI OPTIMI! et cum me ipſum, tum tironem etiam meum, in VESTRIS habere, pergite. PISONII apud Quados.

A. CIↃ IↃ CCXXXVIII. III Nonar. Febr.

IIII.

ACcepi,

PRAESES SOCIETATIS LATINAE ILLVSTRISSIME, DIRECTOR EIVSDEM MAGNIFICE,

ceterique SOCII, cum omni virtutis, ac ſcientiae laude, tum praeſertim, de melioribus litteris, bene merendi ſtudio, Spectatisſimi! accepi, inquam, ea, qua par eſt, obſeruantia, publicae fidei, atque auctoritatis ſcriptum, quo me, in inclutam Societatem VESTRAM, liberis, communibusque ſuffragiis, receptum, honorariorum ordini adnumeraſtis. Quem honorem nec merui equidem, neque exſpectaui vmquam, quum me ipſe optime norim: verbis tamen exprimi non poteſt, quantum eo nuntio ſim laetatus, dum intelligerem, Viros, ſcientia, dignitate, gratia, in orbe litterato, excellentes, in eam curam ſerio incumbere, vt, aliis alia ſtudiorum genera excolentibus, Latinae quoque linguae nitor, virtus, ac nobilitas, a ſitu, labe, contemptu, ne dicam, interitu, vindicetur. Eo enim prolapſi iam ſumus, vt linguae huic, quae, poſt Graecam, virtute ſua, vſuque, reliquas omnes ſuperat, vix aliquod ſtatuatur pretium, etiam ab illis, qui eruditionis, et doctrinae, opinione intumeſcunt. Nihil vero ſolidi, ſine Latini ſermonis ſubſidio, praeſtari poſſe, tam verum eſt, quam quod veriſſimum. Teſtatur hoc barbaries illa, quae, poſt Tullii, Romanae eloquentiae principis, aliorumque huius, vel aequalium, vel ſupparium, tempora, migrationibus gentium, in occidentem inducta, in tanta colluuie nationum, linguarumque, Latinitati genuinae tenebras offuderat denſiſſimas, donec, Muſis transmarinis in Italiam, et hinc in Germaniam Alpes transuolantibus, noua veluti lux melioribus litteris affulgeret. Senſit has viciſſitudines et Pannonia noſtra, quae, bonitate ſoli, et copiis, varias gen-

gentes, ab omni humanitate alienas, ea tempeſtate, ad inuaſiones crebras inuitabat, et Latinae linguae, cuius vſus, integris adhuc imperii Romani rebus, vt hiſtorici illius memoriae tradunt, et in hac prouincia obtinuerat, oblita, cum nouis hoſpitibus, ſedes crebro mutantibus, ſcilicet Gothis, Longobardis, Slauis, Hunnis, ceterisque, alio atque alio ore loqui cogebatur. Hunnis tamen, ſtabilem tandem iſthic dominationem obtinentibus, Scythicamque feritatem ſenſim exuentibus, manifeſtum eſt, maiores noſtros, ſaeculo XI. et ſequentibus, cum fide Chriſti, Latini quoque ſermonis vſum, non in ſacris ſolum, ſed etiam in ciuilibus negotiis, recepiſſe; ſed, vt erant tempora, incultum atque inficetum. Fuitque deinceps Hungaria, quo ſedibus Muſarum Italicis propior, eo et ſermonis vere Romani vſu cultior, et longe, quam, vel Polonia, vel Suecia, vel aliae regiones ſeptentrionem ſpectantes, litteris humanioribus, cultoribusque earum foecundior, vt non imperite hanc laudem patriae noſtrae tribuit Walchius. Commigrantes enim in Italiam Hungari, ſtudiis humanitatis, Tullianaeque in primis eloquentiae refloreſcentem, et ipſi reuertebantur inde doctiores, et alios, ſuo exemplo, diſciplinaque, ad cultum Graecae, Latinaeque linguae, liberaliter erudiebant. In his Ioannes Witezius tam ſuperſtitioſe coluit iſtam, vt, in Italiam delatus, more quorundam, nomina Chriſtiana faſtidientium, dici maluerit Ianus Pannonius. Nec obſcuriores hoc fuerunt, vel Iacobus Piſo, quem Eraſmus, in Ciceroniano ſuo, eloquentiae Tullianae candidatum appellauit; vel Andreas Dudithius, qui nihil, niſi Ciceronem, vt refert Walchius, ſcire voluit; vel Ioannes Sambucus, cui, Latine doctiſſimo, familiaritas, commerciumque litterarum, cum P. Manutio interceſſit; vel denique alii, quos nobis diſciplina, aut Melanchthonis, aut Sturmii, aut Iac. Thomaſii, aut Buchneri, aut Cellarii, aut Schurtzfleiſchii, aliorumque, litteris, ad humanitatem pertinentibus, percultos, reddidit. Erat enim et terra noſtra ingeniorum eius generis olim ferax, quae Germani, in ſocietates litterarias, a ſe, laudabili conſilio, ſaepius initas; praeſertim in Danubianam illam, quae, duobus

 ab-

abhinc ſeculis, auſpiciis Maximiliani I. Caeſaris, ſapienter conſtituta, Celtica quoque, a Conrado Celte, inſtituti auctore, moderatoreque, dicta eſt, vltro deligere, inuitare, adſciſcereque, non dubitarunt. Nec poenituit vnquam huius conſilii, ſtatores illos bonarum artium. Complures enim, et adiumento fuerunt ſociis, et ornamento, nitidioris ſtyli cultu, atque integritate, ſolutioris partim, partim adſtrictioris, laureas conſecuti. At fuimus Celtici. Hodie, quod pudet dicere, ſcientia linguae Latinae, quae olim in laudibus fuit, in probris fere eſt, et, per contumeliam, ſcholam redolere, dicitur. Quamobrem Heineccius haud iniurius in nos eſt, dum queritur, Hungarorum dictionem, quae Latina videri vult, inquinatam eſſe ac ſordidam. Etſi enim, ne noſtra quidem memoria, deſint, qui vel Caeſaream Nat. Curioſ. Academiam, vel Regiam Berolinenſium Societatem, vel alias, ingreſſi, perſonas, ſiue a virtute, ſiue a fortuna, fauoreque hominum, ſibi impoſitas, ſuſtinent, ornareque contendunt: vix tamen, ac ne vix quidem, reperies Burmannos, Facciolatos, Heineccios, Heumannos, Bergeros, Geſneros, Falſteros, et, quod ſine vllo dubio principem locum meruit nomen illuſtre, Hallbaueros, aut alia nomina, quae aetas noſtra, in hac ſcientiae parte, ex merito veneratur.

Ab horum omnium laudibus, quo me, ſcio iuxta, ac fateor, abeſſe longius, hoc maior animum ſubit admiratio, qui factum ſit, vt tanto me honore SOCIETAS VESTRA dignetur. Demonſtratis enim eo, non profecto, qualis ſim, ſed, qualem me eſſe oporteat. Quodſi vero is, re quidem vera, eſſem, quem in me quaeritis, ſcholaſtici tamen muneris, quod ſuſtineo, XX. iam annos, grauitas, vix tantum otii, a publicis priuatisque occupationibus, mihi relinquit, vt ſpeciminibus crebro edendis, ac ſubmittendis, quae VOBIS, VIRI AMPLISSIMI, aliisque doctis, probentur, quaeue aetatem ferant, vacare, et perſonam cum dignitate tueri queam. Scribere vero talia, quae mox, in ſcombros et cucullos thuris aut piperis, vertantur, aut quibus laudes Societatis, tam inclutae, omnino detererentur, nollem. Neque autem, vel ex interprete VESTRAE de me opinionis, ac voluntatis, BELIO, vel ex diplomate, mihi tranſmiſſo, vel coniectura, intelligere licuit, quibus Societas haec, recens condita, legibus contineatur; quibus conſtet membris; quid VESTRI vel inſtituti ſit, vel voluntatis; quidue mearum partium ſit futurum. Interim tamen, dum haec cognoſcam, ſiue ex ECKHARDO, priſci ſtyli ac moris Viro, qui Societatis ab epiſtolis eſt, ſiue quo demum cunque alio; ſicuti in parte honoris, felicitatisque, repono, Sociis VESTRIS, cuiuscumque ordinis, adnumerari: ita, iudicio VESTRO confirmatus, id ſedulo ſemper dabo operam, vt meum VOBIS qualecunque conſtet officium, et, pro tenuitate virium, cuius mihi ſum conſcius, adlaborabo, vt fama et decus Athenarum VESTRARVM per me, ſi non augeatur, ſaltim non minuatur. Quod reliquum eſt, DEVM immortalem oro ac veneror ſupplex, vt noua haec Societas perpetuitatem ferat, vt gratiam, apud orbis Chriſtiani principes, quorum praeſidio tegatur, ineat, vt, nullo non tempore, ac loco, meritis, in rem litterariam, celebretur, vt nouis ſemper acceſſionibus, atque ornamentis, gaudeat, floreat, cumuletur. Ita valete omnes, et me, ſiquidem VOBIS ita viſum eſt, ſocii loco habete,

Dabam, Sempronii, Idibus Decembr.
anno a ſalutari Virginis partu
CIↃ IↃCC XXXVII.

Danielem Haynocium,
Gymn. Sempron. Euangel.
Conrectorem.

V. DI-

V.

DIRECTORI SOCIETATIS LATINAE
EXCELLENTISSIMO

FRIDERICO ANDREAE HALLBAVERO

ELOQVENTIAE ET POESEOS PROFESSORI IN
ACADEMIA IENENSI CELEBERRIMO
QVVM

SANCTIORIS DISCIPLINAE EXTRA ORDINEM DOCENDAE MVNVS

CAPESSIVISSET
ADDICTISSIMAM
SOCIETATIS LATINAE PIETATEM
INTERPRETATVR
D. CHRISTIANVS HENRICVS ECKHARD
SOCIETATIS LAT. EPHORVS
ET
DE ORATORVM IN REM SACRAM PVBLICAM MERITIS
PAVCIS DISSERIT.

DIRECTOR SOCIETATIS LATINAE
GRAVISSIME,

VOcat iam ad TE, VIR SVMME REVERENDE, aucta TVA gloria SOCIETATEM LATINAM, quae inter tot fauſtiſſimas, quibus vndique aures TVAE circumſonant, acclamationes, ſuas non exaudiri, ſuas laetiſſimas voces deſi-

derari non patitur. Quemadmodum ſodales collegiorum apud Romanos Patronis ſuis, honoribus auctis, primos obuiam proceſſiſſe accepimus, vt laetitiam declararent ſuam: ita merito prae ceteris eamdem officii gloriam ſibi LATINA vindicat SOCIETAS. Nuntiet poſteritati omni hoc victurum ſummae in TE pietatis monimentum, quo loco ſita ſit inſignis TVAE eruditionis, et magnorum in Academiam meritorum fama in litterato orbe, et apud SERENISSIMOS MVSARVM IENENSIVM TVTORES, vt hi nouis et ampliſſimis honoris inſignibus excellentiſſimas TVAS virtutes ornandas eſſe cenſeant, ille ſanctiores litteras publice docendi muneri ſapienti EORVM prouidentia TE admotum eſſe vehementer laetetur. Non ignorat, quot ſint, quorum vox hortatu et praeceptis TVIS conformata et perpolita ſacro coetui ſaluti eſt, nouit, quot ex ſcholis TVIS prodierint, qui ſacrae ciuitatis commodis egregie conſulunt, quorumque meritorum gloriam nulli potius, quam TIBI propriam eſſe intelligit. Mirifice igitur et immortaliter de diuiniori ſcientia meritus es ante, quam praeclare de illa merendi publice facultas TIBI conceſſa erat, eoque nomine, vt partis iam meritis cumulum adderes demandata TIBI eſt grauiſſima et venerabilis ſacrarum litterarum doctoris publici prouincia. Sunt vero alia et longe maiora, quae immortale nomen TVVM fecerunt merita. Dediſti ſummis Principibus viros, TVI ſimillimos, qui admirabili eloquentia, prudentiae habenis recta, grauiſſimis rebus inſeruiunt publicis, earumque ornamenta et praeſidia mirum in modum tuentur et amplificant. Auges eloquentiae honorem et inſigne ipſi decus reſtituis; gratulantur ſibi de TE oratores, qui per TE mirifice ſe probari, ſuam cauſſam inſigniter commendari, ſuamque dignitatem in maius meliusque prouehi ſentiunt. Patere igitur perbeniuole, vt TVO exemplo oratorum in rem ſacram publicam merita paullulum illuſtrentur. Si ex omnibus, qui priuatis et publicis rebus interſunt, nullius officia, vel plura, vel maiora ſunt, quam hominis eloquentis; quae ille adiumenta rebus ſacris non comparabit? et quanto amplio-

ra?

ra? ſi CICERONE teſte, orator nemo dici poteſt, niſi qui rerum, de quibus dicit, adprime eſt peritus, et ſi, quodcunque dicit, multo melius et ornatius dicit, quam illi ipſi, ad quos ea ars pertinet. Nec nos mouere debet LACTANTII ſententia, (*) qui *non tam de rebus humanis illum mereri*, ait, *qui bene dicendi ſcientiam adfert, quam eum, qui pie et innocenter viuere docet.* Illos enim intelligit, qui *Rhetores* adpellantur, et viam modo, qua ad eloquentiam itur, aliis oſtendunt. Tantum oratoris ſapientia et moderatione religionis ſalus amplificata eſt, quantum diſertorum hominum, vtpote Macedonii, Neſtorii, Fauſti, Arii, et aliorum improbitas illi nocuit. (**) Abfuit quidem ſapientia ab illorum eloquentia, ſed idcirco etiam exitio fuit, nec optimae ſolum cauſſae tuendae adcommodata eſt facundia, verum etiam peſſimae ſeruit, et inualidae robur addit maxime apud imperitum vulgus. Sciunt omnes, qui rerum in ſanctiori coetu geſtarum haud plane imperiti ſunt, multos hos perditiſſimos homines eloquentiae vi, qua multum valuerunt, in ſuas partes et peruerſas opiniones abripuiſſe. Creuerunt purioris veritatis vires per eloquentiſſimos ſanctioris ſcientiae praecones, qui eloquentiae viribus, veluti armis ſuccincti, profligarunt impetum et audaciam peſtilentiſſimorum hominum, qui contra ſacras doctrinas disputabant, et pro veritate coeleſtis ſapientiae grauiter copioſeque perorarunt. Ipſos ſanctiſſimos viros, diuinitus excitatos, ſummos oratores fuiſſe nouimus, vt excellenti orationis flumine diuina oracula eloquerentur, et diuina ad conuincendum vi in eam partem, in quam ſummum Numen nitebatur, audientium animos flecterent. Quis MOSE eloquentior? (***) AARONI diſerto ore loqui dederat Deus immortalis, et tanta tamque admirabilis in dicendo vis in IESAIA eluxit, vt a facundia, Tullianae ſimili, biblici Ciceronis nomen acceperit. Pulcherrima maſculae et omnibus numeris abſolutae eloquentiae, quae in IEREMIA

 fuit,

(*) *L. I. Diu. Inſtit. c. II.*
(**) *conf.* GVSTAVI GEORGII ZELTNERI binas Diſſ. de *Eloquentia haereſium obſtetrice.*
(***) vid. CORN. DIETER. KOCHII Diſſ. de *eloquentia et poeſi Moſis.*

fuit, effigies in ſacris monimentis expreſſa eſt, (*) et quis dubitet alios diuino ſpiritu adflatos viros hac laude caruiſſe? quos, vti omnibus et praeclariſſimis naturae ingeniique dotibus ornauit Deus, ita praeſtantiſſimo quoque eloquentiae praeſidio inſtruxit, vt diuinae gloriae maieſtatem orationis quoque maieſtate gentibus commendarent. Iure merito dolet LACTANTIVS, (**) tam paucos exſtitiſſe diſertos inter ſanctioris coetus primos doctores, quos PATRES vocamus, et ipſam hanc penuriam oratorum, qui cauſſam omnem veritatis ornate copioſeque defenderent, tam multos prouocaſſe fatetur, vt contra ignotam ſibi veritatem ſcribere auderent. O! quam praeclarum quid, et plane ſingulare in rebus purioris religionis potuiſſet efflorefcere, ſi ad exquiſitam rerum diuinarum ſcientiam egregia illa dicendi copia acceſſiſſet. Quanto facilius ſanctiores doctrinae, elegantia ſermonis conueſtitae, et ſenſuum ſplendore illuminatae, in aliorum animos ſe ſe inſinuaſſent? Nihil profecit TERTVLLIANVS, vtpote incomtus et indiſertus cum omni ſua ſapientia atque eruditione, contemtus eſt, et impar fuit defendendis veritatibus diuinis et refellendis aduerſariis, quibus nihil placebat, niſi quod ſuaue et politum erat. Plus profuit AVGVSTINI et CYPRIANI ornate et copioſe loquens ſapientia, et recte prior *in medio*, inquit, *poſita ſit facultas eloquii, cur non bonorum ſtudio comparetur? vt militet veritati, ſi eam mali ad obtinendas peruerſas vanasque cauſſas in vſus iniquitatis et erroris vſurpant.* (***) Vtinam alii ſequuti eſſent exemplum elegantiſſimi LACTANTII, qui ſumma oris facundia, qua Tullio tantum cedit, hoc adſequutus eſt, vt lubentius aures diuinae voci darent, et mira dictionis ſuauitate, qua ornauit ſcripta, abſterſit aliis taedium diuinas cognoſcendi veritates. Tanto igitur meritorum in rem ſacram gloria alios poſt ſe interuallo reliquit, quantum eos elo-

(*) *conf.* HERMANNI KEMMERICHII *Diſſ. de Eloquentia Ieremiae.*

(**) *L. V. Diu. Inſt. c. I. II. et ſq.*

(***) AVGVSTINVS *L. IV. de Doctr. Chriſti c. II.*

eloquentiae et ornatae dictionis laude ſuperauit, quam ipſe HIERONYMVS illi, vti fas eſt, tribuit, et *praeclare eum aliena* (vanas ſcilicet gentium ſuperſtitiones) *deſtruxiſſe* ait. (*) Noſti, VIR SVMME REVERENDE, quanta ſint incomparabilis AONII PALEARII in religionem emendatiorem merita, quae ſcripta eius diuina omni aeuo repraeſentant. Teſtatur illa luculentiſſime actio in Pontificem rom. eiusque aſſeclas ſcripta, teſtatur elegans de meritis mortis Chriſti libellus: terrori fuit Pontifici rom. diuina eius eloquentia, ſanctiori ciuitati ſummo praeſidio. Quid? quod tota eius vitae ratio ſtrenuum et ſummum purioris religionis vindicem eum fuiſſe probat. Omni praedicatione maiora ſunt merita LVTHERI in rem ſacram publicam, cui tantum debemus, quantum illi, qui antiquae dignitati et integritati religionem reſtituit, qui ſordibus, quibus inquinata erant, ſacra purgauit, et aniles ſuperſtitiones profligauit. Grauiſſimus ille et excellentiſſimus, qualem tum ſaeculum ferebat, orator fuit, et tantum profecto haud eſſet adſequutus, niſi tantum eloquentiae vigore alios anteiuiſſet. Quae cauſſa itaque, VIR SVMME REVERENDE, tantae Muſarum Ienenſium laetitiae? Intuentur in gloriam partorum a TE meritorum, et per ea de futurorum magnitudine certiſſimum faciunt augurium. Ita praeluſiſti futurae dignitati, ad quam per tot illuſtria merita, per ſummum eloquentiae decus graſſatus es. Quum ante veluti noſtri aeui QVINCTILIANVS, quibus armis pugnandum ſit, praeclare docuiſti, iam per TE TVLLIVM nobis reſtituis, qui ipſe iis contendat, vincat, et diuinioris ſcientiae dignitatem egregie defendat. Venimus in communes plauſus, ſociat vota ſua publicis SOCIETAS LATINA, cuius amplitudinem, ſummis meritis a TE ornatam, ſumma prudentia et inſigni nominis gloria ſuſtines et conſeruas. Quid noſtrum? quid amplius? proſequimur omnes fauſtiſſimis ominibus nouos, quod cepiſti honores, quos

(*) *Ep. XIII. ad Paulin.*

quos felices, fauſtos, et fortunatos ſemper ex omni parte TIBI noſtra Societas eſſe iubet. Ex veteri formula feliciter TIBI acclamat: MACTE O VIRTVTE ET MERITIS HALLBAVERE VENERANDE. Denique ſuam exiſtimat TVAM felicitatem, quam, vt propriam TIBI ſemper ac perpetuam ſummum Numen eſſe iubeat, caſtis illud rogabit precibus, et ſi, quod precatur, porro muneribus ſuis fauet, TEque noua honoris acceſſione cumulat, maiore ſemper pietate certabit. Vale ex animi ſententia, VIR SVMME REVERENDE, GRANDE DECVS ET PRAESIDIVM NOSTRAE SOCIETATIS VALE.

IIII.

INSCRIPTIONES.

I.

PLAVSVS VOTIVI

QVVM

LVX NATALITIA

ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITIS AC DOMINI

DOMINI

CHRISTIANI CRATONIS

COMITIS AB

HOHENLOE ET GLEICHEN

DYNASTAE IN LANGENBVRG ET CRANICHFELD

RELIQVA

PARENTIS SVI CLEMENTISSIMI

D. VIII. KAL. AVGVSTI A. SOT. CIↃ IↃCCXXXVIIII.

LXXII^{DA} VICE FAVSTIS OMINIBVS

REDIRET

QVA DECET PIETATE

ET

QVA PAR EST ANIMI REVERENTIA DATI

AB

AVGVSTO WILHELMO

COMITE AB

HOHENLOE ET GLEICHEN

FILIO DEVOTISSIMO.

Feliciori ſidere rediit
Lux illa beata
Et omnibus exoptata bonis
TIBI

CO-

Digitized by Google

Et anniuerſariam huius diei celebritatem
Tamdiu nobis clementiſſime indulgeat
Quamdiu terra tanti muneris eſt capax
TVIsque meritis annos adaequet
Immenſum quiddam eſt quod TIBI debeo
Immenſas ergo TIBI gratias ago et habeo
Non refero
Id enim mearum virium non eſt
Noli itaque aegre ferre
PARENS CLEMENTISSIME
Quod minimam ſaltim crediti partem exſoluam
Quum aere alieno exire non poſſim
Nec id meae naturae
Sed magnitudini beneficii TVI tribuendum puta
Quae enim memoria
Quae vis ingenii
Quae magnitudo obſeruantiae
Quae pietas
Tot tantisque beneficiis queat reſpondere
Omnem igitur aetatem
In immortalibus TVIS in me meritis
Tacita cogitatione venerandis
Et
Quantum fieri poteſt
Praedicandis atque recolendis abſumam
Quid mirum
Quod incredibilem ſemper ex TVA ſalute capiens voluptatem
Hodierna in primis luce ſummo gaudio perfundar
Quum quotidie abſens
TE praeſentem intuear felicitatis meae auctorem
TE
Meum praeſidium
Dulce decus
Perfugium optatiſſimum
Veneror

Et
Omni tempore
Pio animo venerabor
Ac TVVM religioſe agendi exemplum
Per totam vitam imitabor
Quam vere exiſtimas
Ad immortalitatem nominis conſequendam magis prodeſſe
Vitae ſanctitatem
Virtutis amorem
Promeritorum gloriam
Quam natalium ſplendorem
Imaginum vetuſtatem
Ac pulcherrimam ſtatuarum formam
Quam ſapienter in eo veram laudem quaeris
Vt de patria bene mereri poſſis
Cuius tranquillitas ac felicitas
Sub auſpicatiſſimo TVO regimine
Firmior in dies exſurgit
Tum demum ſenem bonum reipublicae omen reputans,
Si aetas ingraueſcens in ciuium amore conquieſcat
Arma TIBI ſunt ſenectutis
Artes exercitationesque virtutum
Ille ſenectutem in primis delectant
Hae recordationem benefactorum efficiunt iucundiſſimam
Felicitatem vero dum celebro TVAM
Agnoſco meam
Ac laetis precationibus fauſtum TIBI ominor
Diem TVVM natalem
Toto pectore precans
Vt viuas ac valeas
Viuas
INDVLGENTISSIME PARENS
Viuas TIBI
Viuas reipublicae
Viuas noſtrae genti
Viuas mihi.

II. EIVS-

II.

EIVSDEM LESSVS IN MORTEM

PRORECTORIS IENENSIS SYRBII.

O flebile fatum
O triſtes rerum humanarum viciſſitudines
Inexſpectata
In placidam ac felicem Muſarum ſedem
Tempeſtas deſaeuiit
Ceciditque fulmen non antea praeuiſum
Velocitate cumulus acceſſit dolori noſtro
Omnium enim opinione citius euenit
Vt nobilior Corporis Academici pars
Ipſum caput
Communi fato periret
Vbiuis fatalis haec auditur reſonatque vox
Academiae Prorector
SYRBIVS
Eſt mortuus
Eheu ſaeculi noſtri delicium
Muſarum Ienenſium decus ac praeſidium
Orbis qua patet eruditi ornamentum
In viuis eſſe deſiit
O verbum triſte ac lamentabile
Amiſimus Virum
Scientia qua diſcipulos auxit inſignem
Virtute qua alios meliores reddidit ornatiſſimum
Qui nihil in vita niſi laudandum
Aut dixit
Aut fecit
Aut cogitauit
Interceptus nobis eſt.

Qui Academiae clauum tenuit Gubernator
Quo melior nec votis experi
Nec cogitationibus ſingi potuiſſet
Interceptus nobis eſt
Optimus quem noſtra tulit aetas Theologus
Quem
Cum vitae innocentia ac integritate
Morum probitate
Et inſigni pietatis ardore
Exquiſita ſanctiorum litterarum ſcientia
Spectabilem fecit
Omnibus ſaeculi noſtri eruditis
Mortuus eſt
Qui numquam videbatur debuiſſe mori
Mortalis fuit
Quem immortalem ſi fieri poſſet cuperemus
Quantas mors eius nobis excitat tragoedias
Lugent Patres Academiae venerandi
Dolenterque deſiderant Socium laborum
Moeret ſacra Dei ciuitas
Theologi ſummi ſummum Theologum lugent
Squalet Muſarum cohors
Optimus quisque plorat
Non mortuus eſt SYRBIVS
Sed de loco in locum migrauit
Et relicta hac rerum humanarum caligine
Ad coeleſtem lucem
Vnde terris datus erat
Reuertit
Quum ad extremum vsque vitae ſpatium
Nullum tranquillum atque otioſum ſpiritum duxerit
Sempiterna nunc gaudet quiete
Coelitum choris adſociatus
Laetus laetitiis omnibus aeternum triumphat
Non mortuus eſt SYRBIVS
Ad immortalitatis memoriam nomen conſecrauit

Cu-

Cuius ſpem et iucunditatem viuo oſtenderant
Egregia facinora
Et omni laude ſpectatiora
Promeritorum gloria
In rem ſacram
In orbem litteratum
In omnes Academiae ciues
Nullo vmquam tempore eſt intermoritura:
Summa SYRBII merita
Memoriam ſui reliquerunt dulciſſimam
Omnique poſteritati conſeruandam
Quantumuis nobis amaram.

III.
EIVSDEM PLAVSVS
QVO
PRORECTORI MAGNIFICO BVDERO
PVRPVRAE EFFVLGENS DECVS
GRATVLATVR.

Poſt nubila Phoebus
Planctus ac gemitus ſequuntur iubila
Luctus et tragoedias excipiunt plauſus votiui
Siſtunt lacrimas Muſae
Et ad recentem ſeſe componunt laetitiam
Athenae propter Salam
Morte Prorectoris repentina
Grauiter contriſtatae
Fine iam facto moeroris
Hodierna luce feliciter ouant
Fracta et capite orbata Academia noſtra
Integritati reſtituitur priſtinae
Graui quod acceperat vulnere conſaneſcente
Laetitiae huius ſenſus eo gratior eſt
Quo maius eius fuit deſiderium
Omnia enim deſiderata magis
Quam aſſidue percepta delectant
O exoptatam ergo lucem
O ſortem vere diuinam
Qua TV
Vir Magnifice atque Excellentiſſime.
CHRISTIANE GOTTLIEB BVDERE
Iuris Publici et Feudalis nec non Hiſtoriarum
Profeſſor Publice Ordinarie
Omnes ac ſingulos Academiae ciues
Tanta laetitiae voluptate perfundis

Dum

Dum ſumma imperii academici ad TE transfertur
Traduntur TIBI Academici faſces
Magnifica rite capesſis Sceptra
Dignus es purpurae nitore
Dulce eſt ac decorum
Virtute ſumma virtutis aſſequi inſignia
O quam auidis ſinguli oculis
Laetum hoc ſequuntur ſpectaculum
Quanta ſimul naſcuntur gaudia
Quae certamina gratulationum
Mineruae dedita pubes
Modeſto plauſu
Nomen TVVM ad ſidera tollit
Optimus quisque TIBI
Dignitatem gratulatur promeritam
Et non niſi praeclara
De TVO regimine ſibi pollicetur
Omnis enim virtutis
Es cuſtos arbiter exemplum
Iuſtitiae ſacerdos ac ſtator
Ingens orbis litterati decus
Certiſſimum diuinae gratiae pignus
Digniſſimus Struuii immortalis Succeſſor
Gloriae eiusdem aemulus
Pari eruditione
Tranquilla indole
Sereno ore
Mira humanitate
O felices ciues
Qui ſub vmbra manſuetudinis BVDERIANAE adquieſcunt
Quo illuſtrior vero TVA fama
Merita quo ſpectatiora
Quo maior amicitiae TVAE fides
Quoque plura
Virtutis induſtriae doctrinae
Ornamenta in TE ſunt

Eo mirabiliori laetitiae ſenſu
Sincera mente
Et ego TIBI haec gaudia gratulor
O viue ſoſpes
Viue incolumis
Vtere ſecundo vitae ſine vlla offenſione curſu
Omnibus perfruere votis
Ad inuidiam vsque felicibus
Soſpitet TE Deus fortuna
Et vires ſufficiat
Quas laboris poſcit onus
Adſit ipſe
Singulis conſiliis conatibus coeptis TVIS
Vt deſinant
In ſui gloriam
Florem ſalutem et incrementum
Salanae.

IIII.

IVVENI ORNATISSIMO
COMMILITONI OPTIMO

LIBORIO ARMBSTERO

KNIEPHVSA VARELENSI
EX

SOCIETATE LATINA

QVAE ATHENIS PROPTER SALAM EST
ANN. A SOTER. NAT. CIↃ IↃ CCXXXVII. DIE VII. APRIL.
DISCEDENTI
HOC AMORIS OFFICIIQVE MONIMENTVM
POSVIT
HENR. FRIDER. REISCHAVERVS
SODALIS LATINVS.

QVisquis es
Qui felicitatem quaeris
Aliorum augere commoda
Ne negligas
Alterius enim in ſalute ſaepe
Et tua vertitur ſalus
Hoc Deus hoc ratio hoc rerum natura ipſa
Praecipiunt
Neminem laedere ſuum cuique tribuere
Parum
Opera ſtudio conſilio aliis eſſe praeſto
Hoc maius hoc excellentius
Ita homo homini deus erit
O vita beata Deo ipſi ſimillima
Quae hoc pacto tranſigitur
Sic mortalium conatus ſubleuantur

Vitia reprimuntur
Virtus effloreſcit.
Ad metam ſi tendis hanc
Te aliosque ſi cupis fortunatos videre
Subſidia elige
Adhibe
Religioſo pietatis cultu
Prudenti rerum contemplatione
Indefeſſa diligentia
Ad aliorum aptus euades felicitatem
Amplificandam
Otio enim et deſidia
Animus
Vt aqua ſtagnans corrumpitur
Vitiis indulgere in voluptatibus volutari
Eſt virtuti ipſi mortem adferre
Nihil quod ſit laudabile facere
Et non vixiſſe
Iuxta fere aeſtumo
Patriis vero inſeruire commodis
Optimis legibus et praeceptis
Quid aequum iuſtumque ſit
Imperitae multitudini commonſtrare
Bonos
Ab iniuriis malitioſorum
Sartos tectosque praeſtare
Hoc ſummum eſt
Hoc honeſto cuique proprium habetur.
Laetare igitur felix
Praeſtantiſſimi ARMBSTERI noſtri patria
Iuuenis tua in emolumenta nati
Optimis artibus et virtutibus
Exornati
Quem muſae ipſae amant
Quas tam impenſe redamat

Is

Is tibi iam politior et doctior
Redditur
Qui Themidis ſacris initiatus
Iuſtitiam in foro ſaepius meretricem
Sed in ſcholis adhuc virginem
Incorruptam animo complexus eſt
Ad eamque defendendam paratiſſimus
Hunc in ſinum recipe tuum
Hoc qui tuis ſe commoditatibus
Dicauit
Fruere
Et iuſtis honoribus condecora
Vos vero optimi Sodales
Diſceſſum commilitonis praeſtantiſſimi amantiſſimique
Iuſte mecum lugete
Ille enim
Qui Societati fuit ornamentum
Quem orationis ſuauitas
Polita cum eruditione coniuncta
Tantopere nobis commendabat
Vltimum iam vale dixit et abit
Sed ita abit
Vt dulcem ſui memoriam
Egregiis diligentiae et
Humanioris litteraturae
Speciminibus
Morumque integritate
Reliquerit
Aequo hinc animo
Deſiderium ferte eius
Et ei
Ob amicitiam ſancte ſeruatam
Gratias debitas perſoluite
Et ſuſcepta itinera
Fauſtis ominibus proſequimini.

Age igitur
Deſideratiſſime ARMBSTERE
Deo Auſpice
Curſum quo tendis dirige
Votiuis ſociorum plauſibus
Comprobatus et dimiſſus
Saluus et incolumis
Ad Tuos vt reuertaris
Omnes
Vno optant ore et animo
Vale et flore.

V.
CARMINA.

Digitized by Google

I.

CARMEN HEROICVM LAVREIS HONORIBVSQVE SVMMIS SACRAE REGIAE MAIESTATIS AVGVSTI III SACRVM

ET

OB DEDITIONEM CELEBERRIMAE GEDANENSIVM VRBIS

FELICISSIMIS NVPER AVSPICIIS FACTAM

IN SOLEMNI

ACADEMIAE MVSARVMQVE IENENSIVM

PANEGYRI

PVBLICE IN SOCIETATE LATINA DECANTATVM

A

PETRO KVNZIO

LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRO

A. O. R. CIↃ IↃCC XXXIIII.

AVGVSTE,

imperii ſalue ſpes optima ſacri,
Salue, grande decus, patriae portusque, ſalusque,
Tot regum generoſe nepos, et imago PARENTIS,
Saxoniae columen, quo nil illuſtrius orbis

Am-

Amplus habet, radiis quo nil praeclarius vnquam
Phoebus inauratis vidit, ſeu flexerit ille
Heſperium in lectum rutilantes igne caballos,
Siue recens croceo conſperſerit aethera nimbo.
Gloria Teutonidum ſalue! iam poplite flexo
Numen adoro TVVM, viridesque extollere lauros,
Eſt animus, quas tota diu mirabitur Arctos.
Sed quo me calidus pellit furor? omnia quamuis
Sponte mihi, velut vnda, fluant, ſi Delius ipſe
Laurigeros apices Parnaſſi linquat Apollo,
Et ſe ſe adglomerent comites Heliconis alumnae,
Meque ſibi penitus rapiant et pectora pulſent,
Non, AVGVSTE, tamen TVA gloria laudibus aequis
Extendi poterit: virtus eſt neſcia pingi:
Qui ſatis hanc celebrare volet, vaga ſidera caelo
Depromat, viduetque ſuis is floribus hortos.
Nauita veliferis ſcindens freta ſalſa carinis,
Nil magis exoptat, quam flantes leniter Euros.
Et metam, finemque viae, portumque quietis:
Haud ſecus adde mihi, Zephyris ſpirantibus, auram
Et vultu facilis noſtro ſuccurre labori.
Non etenim hic Varum canimus, vel capta Cheruſca
Signa manu, profugoque infames, conſule Cannas,
Non raptas Parthis aquilas, Perſenque triumpho
Incolumem, Romane, tuo: ſed Martius heros,
AVGVSTVS, mihi carmen erit, qui regibus ortus
Tot reges veneratur auos et in ordine longo
A Vitekindaeo deſcribit ſtemmate faſtos
Non timidam generat Getula leaena capellam,
Nec Iouis armigerum videas excludere foetu
Chaoniam volucrem: fortes a forte creantur:
Noſter ab AVGVSTO, quo non praeſtantior alter.
ILLE quidem Hungaricis toties ſudauit in oris,
Thyſſagetumque truces fregit, Numidumque furores:
ILLE ſagittiferas proſtrauit Marte cohortes,
Atque Gelonorum minitantia contudit arma.

Quis

Quis magis horriſono ſuperauit fulmine gentes,
Sauromatas, Gallosque feros? non impetus ILLVM
Vincere Turcarum potuit: per tela, per hoſtes,
Per flammas rupit, DIVIS comitantibus vltro.
Pro dolor! at nuper nobis mors abſtulit ILLVM!
O violenta nimis iura! o fata inuida terris!
O infeſta dies! heu tempora plena doloris!
Siccine vis leti tentat quaſſare coronas
Sceptrigerum, ſedesque poteſt reſerare potentum?
Sed quid lugemus pauidi, trahimusque querelas
Vlterius? triſtis cur ora perambulat imber?
Laetitiae frontem reddamus, tempora lauro.
Filius en ſupereſt, magni PATRIS incrementum.
Nondum tectus eras prima lanugine malas,
Atque, AVGVSTE, TIBI ſunt grata crepundia, luctae,
Venandique artes, rigidi praeludia belli:
Haec animum, haec poterant artus recreare tenellos,
Seu libeat celeres dextra vibrare ſagittas,
Seu iaculum quaſſare manu, ſeu terga caballi
Cornipedis premere et ſtimulis vrgere morantem,
Interdum poteras veloces pellere damas,
Non rabiem metuens apri, non ſaeua leonum
Fulmina, nunc optans nigrum de montibus vrſum
Scandere, nunc terebrare lupi fera viſcera ferro.
Vixdum florentes conſcendit viribus annos
Iam patiens armorum aetas, virtusque iuuentae
Incaluit TIBI met: morte interrupta PARENTIS
Arma remoliris, ductor, proauumque labores
Excipis et TVA ſigna locas, hoſtemque repellis.
Namque Polonorum legeret cum natio regem,
Stanilausque ſuas in TE transfunderet iras,
Quum ſociata ſuas armaret Gallia naues,
Vt TIBI promeritam quaterent in fronte coronam:
Tum miſeris ſolamen eras, ſubitaque leuabas
Naufragium commune manu: TV tecta, penates,
Et ſurrepta ſuo reddebas rura magiſtro.
Qualis in Ionio magno bacchantibus Auſtris

Exul in aequoreas delatus nauita ſyrtes
Et remis, vellisque ſuis iam protinus omnem
Abiiciens animum pugnat, pelagoque reſiſtit:
Sic quoque Sarmaticis vltro ſuccurrere rebus,
Rex AVGVSTE, TIBI placuit: rutilantia gemmis
Sceptra geris, diadema tenes: en ardua pennis
Ipſa TVOS circumuolitat victoria currus.
Cracouiae illuſtris fundit pia vota SENATVS,
Et pueri, iuuenesque canunt paeana per agros.
Vna ſalutantum vox eſt: reparata ſalutis
Spes patriae rediit: ſtudiis concordibus aulae,
Curia, templa fauent: victo ſic clarus ab Indo
Thyrſigeris venit ſubuectus Lyncibus Euan:
Sic Latium, ſic Roma ſuis ſpectabilis olim
Occurrit ducibus, tunc quum Capitolia Paulus
Scanderet et vinctum ſpectarent roſtra Iugurtham.
Adſpicis, vt regni PROCERES et in aere micantes
Adſultent TE circum EQVITES? petulansque ſuperbis
Paſſibus incedat ſonipes? crebroque peractum
Hinnitu teſtetur opus? TIBI conſecrat arma
Miles et auguſtae reſonant clamoribus vrbes,
Sola ſilet GEDANVM: terraque marique reſiſtit
Diua potens, profugi tum regis et hoſtis aſylum.
Vrbs cognata polo, vallis munitur et vndis,
Atque inter geminos perſtat ſecura Deaſtros,
Qui velit Iliacae mirari moenia Troiae,
Hae videat, celſamque Tyrum, Antiſſamque, Pharumque,
Maſſylumque lares, ſtantesque in littore Athenas.
Hic maris, hic tumidi domus eſt Tritonis et ingens
Regio Naiadum: tectae cum finibus, arces
Natura famulante, iacent: ſunt pontus et amnis
Praeſidium, vallosque facit circumfluus aether.
Inde Polonorum decus et telluris ocellus
Et regina ſimul Codani littoris exſtat.
At nihil imperio tutum: nihil vt durabile ſceptris,
Vt fortuna procax, quae perſtant, cuncta reuellit,
Et malefida bonis inſultat ſaepe potentum:
Sic ea Prusſiaci ſe ſiſtit filia regni,

Quae

Quae toties hoſtem ſolo terrore ſubegit,
Nunc eſt ludibrio ſociis bellantis ADOLPHI.
Recte: ſic domini redit ad confinia iuſti,
Quod fuit ante ſuum. Sic incola ruris et vrbis
Victori palmam praefert et viribus impar
Hac cecidiſſe manu, poſt longa pericula, gaudet.
Quam dedi nunc, VICTA potes! bona verba, precesque
Quam facili nunc ore fluunt! ſic ſubdita leges
Accipis et captam gemino TE Marte fateris.
Quae prius hoſpitio, tectisque fouere rebelles
Adnueras, nunc ſana ſoles admittere frenos,
Legitimoque lubens ſubdis tua colla REGENTI.
Qualis anhelantem praefracta Numantia Romam,
Aut Macetae ſpreuit bellatrix Petra furorem:
Talis et AVGVSTI placidis parere lupatis
Obſtiteras, ſeducta malo molimine regni
Primatum et reliquis aduerſae fraudibus aulae.
Namque Stanislaicos poteras compeſcere motus
Et coniuratas procul hinc remouere phalanges:
Contra aquilas, enſesque tuo requieſcere portu
Nolebas, fugiens humani Saxonis vmbras.
Haec vbi facta videt PRINCEPS Mauortius, omnem
Vertit in hanc vrbem rabiem, totisque fatigat
Viribus incluſam, pontoque ſoloque, Boruſſam.
Moſchus in auxilium venit et ſocia arma miniſtrat.
In geminos diuiſa duces fuit alea belli,
Et gemini fidas iunxerunt foedere dextras.
MVNCHIVS Arctoa Ruſſorum in gente voluptas,
Alter Saxonico celebratur ADOLPHVS in orbe:
Ambo animis fortes, ambos et claſſica et inter
Horrida belligeras aluerunt caſtra cohortes
Ambo coruſcantes clypeos et ſpicula docti
Intrepida vibrare manu: per ſigna, per enſes,
Reptarunt pueri et conſperſos puluere vultus
Deterſere ſuis: patriae ſociata ſaluti
Ambos cauſa mouet magnique iniuria REGIS
Alter naue venit, prohibetque, vt Viſtula, fortes

Inter Hamaxobios et durae gentis Alanos.
Nullis exoneret Cerealia munera tranſtris:
Quin iubet auſpiciis ſiſti regalibus amnem,
Et, Gallo indignante, premi, et tot claſſibus angi
Oſtia et armatis infringi puppibus vrbem.
Alter ad occiduos aditus: nam cetera ſtagnis,
Fluminibusque natant: acuit certamina belli.
En! lateri glomerata TVO ſe Martia pubes
Heros Saxo, TIBI dicat et parere parata eſt,
Aut ſit opus recto, aut obliquo incedere greſſu:
Siue hoſtem iaculis, ſeu cominus enſe ferire:
Siue petas populator agros, ſiue ardua montis
Culmina, ſeu caecis ſiluarum anfractibus erres.
Nec mora: ſelecto Dantiſci milite muros
Cingis et heu! nunc pila volat, tormenta coruſco
Igne ſonant, grauiorque fragor male percutit aures,
Saxa pluunt, variosque lares irata reſoluit
Machina, perque domus tonitrus imitata Deorum
Saeuit et immani turres disrumpit hiatu.
Nec deſunt litui, nec tympana, et aera tubarum,
Quae fortes ad bella viros, operasque calentes
Certatim adliciunt et robora mentibus addunt.
Hic enim in obſcuras, loca per vaſtiſſima, foſſas
Voluitur et cautus patulos explorat hiatus:
Is tentat pyrio ſubuertere puluere glebas:
Hic cupit excelſos adſcenſu vincere muros,
Ille vltro ſeſe nigrantibus abdere terris:
Quisque ducem ſequitur, ſeu mors, ſeu vita reſultet.
Sicut mellificae volucres, cum dulcior anni
Siren ſpirantes Zephyrorum leniter auras
Prouocat et prima veſtit lanugine prata,
Agmine ſat longo regem per florida rura,
Perque thymum, cythiſumque, hilares comitantur euntem:
Sic et ab ore TVO pendet ſupremus et imus,
TV ſtimulos adhibes, largo cum munere iunctos,
Et mulces animos dictis et pectore firmo
Arduus, arma tenens, fuſas ex vrbe cateruas

More

More ſurens torrentis aquae, ſeu more leonum,
Sternis humi, et circum foſſae velut oſſibus albent.
Iam iam bis varium Phoebe reparauerat orbem,
Atque ſuo curru ſitientis terga Leonis
Ingreſſus fuerat Titan, quum Viſtula victos
Adſpicit indigenas, vrbemque ad ſumma redactam:
Quum ſenſim percuſſa ruunt clauſtra ariete crebro
Portarum, emoti et procumbunt cardine poſtes.
Heu ſaxis iam ſaxa labant, iam diſſilit ingens
Caſtellum et grauibus quaſſatur Munda ruinis.
Hinc quoque per rimas vexilla volantia pandens
Obſeſſus veniam, ſceleriſque obliuia poſcit.
Ilicet oratum pacem ſtationibus altis
Adſunt exanimes et foedera ſacra precantur
Diffuſae crines et apertae pectora matres.
It clamor trepidis per propugnacula muris,
Nec graue victori eſt, facili ſub lege paciſci,
Et ciues meruiſſe ſibi: mirantur amari,
Quos ferri damnaſſe queat vindicta malorum.
Deflectit REGINA genu, dominique potentis
AVGVSTI veneratur ebur: nunc arma, faceſque
Et tela et clypeos, reliqua inſtrumenta Gradiui,
Ante pedes proſtrata TVOS miraris, ADOLPHE!
Quin et obaeratae Ruſſis heroibus arces
Sponte patent: nunc magna cohors et laeta iuuentus,
Tardigradique ſenes aruis ac moenibus adſunt
Spectatum caſtrorum aciem: non littora quondam
Iſthmia, non tantis fremuit concurſibus Elis,
Cum celeres Hieronis equos, curruſque ſtuperet
Graecia, victriceſque rotas agnoſceret Argos.
Omnibus idem ardor: nunc hic in milite vultus
Intrepidos, greſſumque notat: probat ille ſuperbae
Molis opus: vaſtos alii mirantur hiatus
Murorum, noſtrique iuuant ſpectacula belli.
Plurima pars vtrumque ducem, ſuperoſque cohortum
Praefectos luſtrare cupit: per caſtra puellae,
Ipſa Venus graditur: miſcet clementia dextras

Et coniunctus amor: quod te non degener hoſtis
Occupat, o GEDANVM, reſtant ſolatia fati
Illa tui: claues placido nunc tradis ADOLPHO.
Iamque ſilent litui, cedunt terrorque, pauorque,
Et cunctis ſua forma redit: poſt praelia laetos
Reſtituit tibi Saxo dies: STANILAE, quid enſem
Geſtas in ſpeciem fugientis militis? eheu!
Scena vices vertit: quantum mutatus ab illo!
Qui venit, vt rapta ſit tutus in vrbe corona
Nunc ſpoliis exutus abit: nunc Cappadocum rex
Aeris eget: voti qui prodigus hauſerat amplae
Vaſtas vrbis opes: turmis truncatus et armis
Foeda legit retro veſtigia, qui modo plenas
Explicuit campis acies: timet omnia ſero
Qui timuit nihil et nimium ſecura ruinam
Fata trahunt. Per TE quantis, AVGVSTE, tenebris
Eruimur? quam laetus ades? nunc clarior exis
Saxonia et celeri curſu contendis OLIVAM.
Quam populis, REX MAGNE, places? velut ille Noemi
Ales, in ore ferens ramum frondentis oliuae.
Non vanum augurium eſt: poſt nubila multa ſecundis
Conficis auſpiciis bellum, gladioque coerces
Aduerſos in iura viros et ſanguine parta
Pacis honoratos ambit TIBI laurea faſces.
Perge, TRIVMPHATOR, reliquos contunde rebelles,
Qui late populantur agros, qui tecta, laresque
Vulcano ardenti tradunt, qui milite multo
Sleſiacos ſcelerati audent inuadere fines.
O propera, nec ſiſte prius, quam prenderis illos,
Atque tenebroſo detruſeris impiger orco.
Non ſatis hoc; calcanda via eſt, age, tende volatum
Vlterius, famulo enſe TVVM latus indue, PRINCEPS!
Quumque Stanislai nuper disieceris agmen
Et ſocerum ex valido profugum turbaueris antro,
Nunc pariter generi prauos compeſce tumultus,
Atque repentinis audaces disiice Gallos
Fulminibus, proſterne feras Mauorte phalanges,
Vt videant, quam grande nefas ſit, laedere reges?

Quan-

Quanta ſit ira TIBI, flammis feruentior Aetnae?
Adſpice, quam crebris clamoribus impleat agros
Francigena et patrios circumſtrepat vndique fines?
Sicut rorifugis Maurufia terra locuſtis
Obtegitur, volat inde cohors male ſana per hortos,
Et flaueſcentes late conſumit ariſtas:
Haud ſecus indomitis rapiendo viuere Gallis
Dulce eſt et laetas proſternere grandine meſſes.
Non pietas, non vlla fides, cuſtodia legum
Nulla viris, ſemper ſceleri ſcelus addere promtis.
Proh dolor! irrigui nunc aufugit accola Rheni,
Moſa ſimul duris diſcit parere lupatis,
Kehla iacet, Treuirisque gemit, Trarbachia luget,
Atque Philippopolin, violento Marte ſubactam,
Hoſtis habet, Germane, tuas ruiturus in oras.
Hinc adeo adflictis iam iam ſuccurrere rebus
Tempus adeſt: AVGVSTE, velis componere fluctus.
Mitte, age, victrices Codano a littore turmas,
Mitte laboranti patriae, CAROLOque miniſtras
Iunge manus, ne forte nouas ſibi ſumere vires
Poſſit turbator pacis, placidaeque quietis.
Audior! en aquila Gallorum Saxone campos
Impleri video: iam captas fraudibus vrbes
Reſtitui et iuſtas domini comprendere leges.
Iam video abiectis TIBI vertere victa pharetris
Terga Scythas, populosque alio ſub ſole calentes.
Helleſpontiacus ſubdet TIBI ſceptra tyrannus,
Dacus item, flectentque genu Getulus et Afer.
Vicimus, o ciues! noſtra eſt victoria, noſtra eſt!
Cernite, quam leni Gedanenſes flectat ADOLPHVS
Imperio? quam tuta tuo ſit in aequore puppis,
O REGINA potens? quam laeto Viſtula cantu
Nunc reſonet? Ruſſique ſimul paeana ſalutent?
Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis,
Contra autem populi celſos ferientia coelos,
AVGVSTO monimenta locent, arcusque curules.
O felix nimium ductor! felicior aetas.

Quae TE, quae talem ſortitur natio REGEM!
Principe ſub tanto franget Bellona flagellum,
Et ſua Threicium Mars arma remittet in orbem.
Candorem niueis video volitare quadrigis,
Et Charites, pacemque nouas inuiſere terras.
Sponte ſua teneris campus flaueſcet ariſtis,
Quin etiam molli ſeſe rubus induet vua,
Ac vario paſſim pingetur terra colore.
Cecropio tenues ſudabunt melle geniſtae,
Aſſyriaeque ſalix pingueſcet gramine myrrhae.
Ipſae nectareo diſtendent lacte capellae
Vbera, et in patulis florebunt lilia dumis.
Indomitum placidis ſternetur fluctibus aequor,
Nec naues Scyllam metuent, nec nauta Charybdim.
Lenes ſpirabunt Zephyri, quorum omnia flatu
Ridebunt, totusque adeo laetabitur orbis.
Quae regio laudum eſt, AVGVSTE, ignara TVARVM?
Quem fugiat virtus? Oriens TE nouit et Arctos,
Eousque TVO repletur nomine Ganges.
Semideos bonitate aequas, es temporis huius
Lumen et imperii, patriaeque, hominumque voluptas
Dum petet Oceanum lymphis velocibus Albis,
Dum Sala Ienenſes praeterfluet amne penates,
Atque ſuas miſcebit aquas cum Saxonis vndis,
Dum freta ſquammigerum pecus et dum caerula concha
Incolet humentes pelagi ſpumantis arenas,
AVGVSTI durabit honos, monimenta manebunt,
Nec ventura ſacras delebunt tempora lauros.
Fortunate ducum, magni FRIDERICE PARENTIS
Gloria, cui pariter virtus famulatur et enſis,
Indue TE patriae meritis, fer ad aethera famam,
Et ſimul Auſtriacae longum praeconia gentis
Protrahe, continua ſubiectis parcere terris.
Tolle TVVM, tolle egregium per ſaecula NOMEN,
Tolle decus, daque alta virum volitare per ora.
Tende agedum vlterius, quo ſe TVA gloria monſtret,
Et fac, vt patrios ſuperent TVA facta triumphos!

II. VE-

II.

VENATIONEM REGIAM
IN SVDETIBVS NOSTRIS NVPER
CELEBRATAM
CANIT
M. CHRISTIANVS CLODIVS
RECTOR SCHOLAE ANNEBERGENSIS.

EN age! Muſa! viros, venabula, retia, ſyluas,
Ceruorumque greges altis de montibus actos,
Plauſtrorum ſtrepitus, hominumque canumque latratus,
Spumantes apros, lepores, vulpesque ruentes.
Pulſorumque fugas, caedes et vulnera dicam.
Vidimus his oculis, quid enim vidiſſe pigebit?
Rem prius haud viſam, nulloque Poemate dictam,
Laudibus Aenae, magna dignamque Diana.
Quem Virtus et Fama vehit per ſidera celſum,
Sarmatiae Princeps, veteri de ſtirpe Piaſti,
Perfidiae domitor, columen fidusque bonorum,
Tertius Auguſtus, fractis Gedanenſibus vndis,
Eiectis Gallis, et iniquo Rege fugato,
Saxoniam repetens, curas ad retia vertit.
Omen ineſt rebus, regni bellique tumultus,
Et quae plura trahunt diuerſas turbine mentes,
Ruſſorum copiis, luſumque iocumque futuros.
Confluit ex omni terrarum parte colonus,
Curritur in montes altos, atque inuia luſtra,
Qualia vix quondam vidit Cumaea Sibylla,
Caucaſeus vertex, Atlas, Rhiphaeaque tellus.
It coelo clamorque virûm, clangorque tubarum.

Permiſto ſolopi crepitu, catulique latratu,
Vt cum terreſtri decernunt Marte phalanges,
Omne nemus reſonat, gladii titubatque furore.
Proſilit ex antris perterrita beſtia furuis,
Neſcia tam duri longo de tempore, caſus,
Iam, velut ex ſignis, caedis praeſaga futurae,
Transmittit curſu campos, atque agmina pernix,
Puluerulenta fuga glomerat, denſatque ſuorum.
Nodoſi laquei, longo diſcrimine iuncti,
Turbaque ſeruorum, noſtris contermina ſyluis,
Noctes atque dies pecudes agitare parata,
Ingentem fallit copiam, raptatque ferarum,
Quae vafris deluſa ſtrophis, obſeptaque lino,
Arguit errores, atque in contraria fertur.
Ecce! nouam pecoris peregrino more ſalutem!
Grunnit aper frendens, vlulat vulpecula fallax,
Et reboant triſtes cerui, leporesque coaxant;
Ingruit atra fames, deſunt ſitientibus vndae,
O! quos mugitus pecoris, quae murmura capti!
Diſpiciunt latebras heſterna luce relictas.
Et notos fontes, conſuetaque pabula ruris,
Nulla patet toto fugiendi rimula campo.
Iam pauidi, trepidi, ſqualidi, miſerique vagique,
Triſtes euentus, et atrocia fata volutant.
Aſper ab occaſu terras madefecerat imber,
Iris et inſignis vario ſplendore colorum,
Nuncia nimboſae, plusquam Cumaea, diei,
Terris purpureum montanis iunxerat arcum:
Cum Patrem Patriae, regali ſede relicta,
Pluribus aſcitis, venturum fama ſuſurrat;
Nempe per has terras trigeſima pallet ariſta,
Quae tam magnificas non vidit Principis vmbras.
Aduentant coelo, quaſi ſic fortuna iuberet,
Sedibus acciti, Rex et Regina ſereno,
Illuſtri heroum ſtipatus vterque cohorte.
Vix ea laetitia eſt volucrum, vix iſta ferarum,

Cum

Cum Sol pallentes de coelo diſcutit vmbras,
Laetaque per campos nitidus ſpectacula pandit:
Quam, quae cunctorum mentes animosque remulſit,
Cum ſaluum Dominum, ſaluam Dominamque viderent.
Audiſſes hominum varios de Rege ſuſurros;
En! pater Aſcanium depoplite ſuſtulit altum,
Et mater, natam geminis amplexa lacertis,
Indice digitulo, ſpectes, mea filia, ſpectes,
Hic Rex eſt, inquit, Reginaque proxima Regi,
Hic Dux Leuoopetrae, Ducis illa eſt Filia Princeps,
Hic eſt Caeſareus Legatus, Epiſcopus ille
Lypskius, hic Ruſſus, ſequitur quem Dania miſit.
Audiſſes fremitus, permiſtaque iubila vulgi,
Vidiſſes pueri pendentis ab arbore plauſus,
Vnus in Auguſtum vultus, fixusque Ioſepham,
Caetera poſt habuit patuli ſpectacula campi.
Iunxerat Actaeon gracili tentoria tigno,
Millibus apta viris, huc Rex et turba ſubintrat,
Diſpectisque locis, rebus cunctisque probatis,
Diſcumbunt laſſi, macerataque iuſcula ſumunt,
Abſumptis tandem dapibus, patinisque remotis,
Horrida per ſyluas capturae ſigna dabantur;
Non aliter reſonant, turmali buccina cantu
Cum ſtrepit, atque nemus ſubito ciet omne tumultu.
Nos circumpoſiti, Latio velut amphiteatro
Ore triumphantes, plauſtris haeremus in altis,
Obſeruaturi miſerae ſpectacula caedis.
Panditur Aulaeum, prodit fera beſtia clauſtris,
Quis ſtupor attonitos, quam tetricus occupat artus
Horror, vbi populos alta de ſede frementes,
Tecta, viros et iuncta procul velamina ſpectat,
Pertentat reditum, ſed vela redire vetabant;
Nunc vbi caeca petit fugitiuo calce ſalutem,
Soluitur horriſona lethalis machina voce;
Quali vix tremuit nuper Quiſtellina tellus,
Cum fugeret timidus ſuperatis Broglio caſtris,

Ter-

Territus et miles violento Marte Sabaudus.
O! miſeram miſerae pecudis per iugera ſtragem!
Pars occiſa cadit, pars ſaucia facta pererrat,
Pars inter curſus manante cruore fatiſcit,
En! caper altiuolans ſclopos modo fallere tentat,
Ecce! gradum reuocat, primaeuaque luſtrat aſyla,
Ille per immenſos poſt ſe trahit ilia campos,
Hic rotat occiduum gyris, et concitat orbem,
Cernitur hinc alius, qui fracto crure vacillans,
Oſſa ſimul laniata vibrat, curſumque requirit;
Vnus et e multis, aetate et corpore grandis,
Cum fruſtra tentat ſaltu transmittere velum,
Dente crepans, oculisque tremens, plenisque minarum
Vultibus, ad ſyluas gemebunda voce remugit,
Lapſus et in terras, animam cum ſanguine ponit.
Defuit haud alius, qui, cum premetur ab hoſte,
Calce minax, alto ſublatus in aëra ſaltu,
Verteret hoſtiles agitantis in occiput artes.
Caetera turba, vagi ſpumant, titubantque tremuntque,
Donec conſimili rapiuntur frigore mortis.
Quae cum ſtrata iacent, naturae iure ſoluto,
En! noua ceruorum, ſemoto tegmine, turba
Proruit, atque amplo ſpectans exempla theatro,
Horret, et immotis pedibus veſtigia fixit.
Bina per ambiguos ducebant compita calles,
Binaque verſantem feriebant ſpicula turbam,
Quocunque aſpiceres, et mors et fata vocabant;
Accelerant greſſus, nec enim datur ire retrorſum,
Ecce! nouam ſtragem pecoris, noua vulnera caeſi!
Funera funeribus cumulata meantibus obſtant.
Sic inter laeſos, nulla ratione pericli
Inducta, ſegnes, et ſtrata cadauera fidunt,
Laſſaque diſperſis obuertunt tergora flammis.
Continuos ſubeunt Rex et Regina labores,
Nec ſpatioſa quidem iaculantes area fallit,
Nec leuitas pecoris, varius nec ſaltibus error.

Mi-

Mireris fortem Regis certamine dextram,
Qui cerui, ſummo per caſtra furore ruentis,
Diſtricto totum ſubito caput enſe reuulſit.
Triſtis erat facies capreae, quae ſaucia, pullos
Glandibus elapſos, denſata per agmina ducit,
Ereptura ſuos, licet haud euaderet ipſa.
Vidiſſes alios, ſclopi qui glandibus icti,
Suppetias matrum moribunda voce rogarent,
Dum tandem exanimes ipſa cum matre cadebant.
Denique nec deſunt, qui, cum cecidere, reſurgunt,
Surgentesque cadunt, parcarum lege ſequeſtra.
Et quos lenta trahunt Libitinae tormina lapſu,
His venatorum ceruices pugio ſoluit.
Iam fere nongentae numero cecidere ferarum,
Quas longa ſerie venatica turba reponit:
Ecce! Pater Patriae, duro nec grandine laeſus,
Nec feſſus iaculis, ſpumantes prouocat apros.
Nos qui continua ceruorum ſtrage ſoluti,
Aprorum caedes, animis lingisque precamur.
Inflatur cornu, ſoluuntur fune moloſſi,
Panduntur camerae, ſed o! iracunda Diana!
Virgo potens nemorum! quorſum mihi victima vertit!
Heu! per mille vias aper omnis, et omnis apri ſpes,
Velis disruptis, heſterna nocte tetendit.
Vertitur in capreas, quam fraus aprugna fefellit,
Saeuities hominum, diſperſaque in agmina ſyluae.
Forte ſub obſcura conſederat arbore ceruus,
Ceruaque pullorum capreis ſtipata tenellis,
Protinus hanc agitant rabidi, lacerantque moloſſi,
Inſequitur miſtum variis animantibus agmen,
Turba puſilla gregis, certiſſima praeda Dianae.
Heu! mihi ridiculas vulpis leporisque choreas!
Illa dolo pellem defenſat, et iſte volatu,
Nil valet aduerſum, luduntur ab artibus artes,
Nil leuitas crurum, plumbi vis corripit omnes;
Iſta fuit tandem ſylueſtris clauſula pugnae.

Iam

Iam ſol occiduus fumantes vergit in agros,
Iam Rex Auguſtus, iam Clementiſſima Coniux,
Ambo ſoli ſoles patrii, ſpectacula claudunt.
Vt, cum praecipites Phoebus iam veſpere partes
Egit, et obſcuris tellus immergitur vndis,
Vomere ſubuerſo, caſulam frequentat arator:
Sic ſpectatores, patriae iam Sole remoto,
Palantes agris, vicina mapalia quaerunt.
Ipſe ego, qui rediens diſperſa cadauera vidi,
Pharſaliae ſimilem videor mihi cernere ſtragem;
Adde, quod interſit: Miles proſtratus humatur,
His dat ventriculus Procerum regale ſepulchrum.

III.

VLTIMVM VALE
ILLVSTRISSIMI COMITIS
HENRICI VIII. RVTHENI
COMITIS AC DOMINI PLAVIAE LINIAE IVNIORIS
PRAESIDIS SOCIETATIS LATINAE
QVAE ATHENIS PROPTER SALAM EST
FVLGENTISSIMI

SVBMISSE
NOMINE SOCIETATIS
ANN. A SOTER. NAT. CIↃ IↃCC XXXV. D. VIII. APRIL.
CARMINE COLLACRIMABAT
IOANNES CHRISTIANVS GOECKELIVS
E SOCIETATE LATINA.

INgens decus, ſplendorque TVAE domus,
COMES, paterni ſanguinis aemule,
Illuſtris heroum propago,
Praeſidium columenque noſtrum!

Nunc TE canemus pertenui lyra:
Quum linquis vrbem Palladis et TIBI
Charas, puto, Muſas latinas,
Flebilior quibus hora venit,

Inclinat arcum Phoebus, et auream
Submittit Euterpe titulis chelyn,
Eamque ſuſpendit cupreſſo,
Triſtis et encomio TVO impar.

TE

TE cerae auiti ſtemmatis indices,
Et plena claris atria vultibus,
Et facta maiorum decorant,
Vltimus vt veneretur orbis

Exempla, quos et virtus amabilis
Inter potentes militiae viros
Locauit et munus Mineruae
Vſque ſub aſtra tulit perennes.

Fortes creantur fortibus, et leo
Inter feroces ſub nemore incolas,
Nunquam parit ceruam pauentem,
Progenerat neque lupa pardum.

Virtus parentum mentibus influit,
Eamque ſemper promouet altius.
Nutrita fauſto ſub penate,
Ingenioque potens prapago.

Aſt ſunt tamen, qui ſtemmata fortium,
Et monſtra iactant in clypeo ſacri
Caelata patris, nec ſibi quid
Laudibus et genitore dignum

Parant. Nec horum exempla premis, TVA
Virtute praeſtas, laudeque propria
Corroboras pectus, Tuis et
Illuſtre genus meritis coronas.

Non ſola iactet Graecia Socratem,
Et Roma praeclaram ſapientium
Turbam, quibus nomenque honosque
Vsque manent referenda chordis

Et

Et noſtra monſtrat Socraticos viros
Et laudat, aetas. TE memorabilem
Reddit, COMES, praeſtans Mineruae
Cognitio ſtudiumque rerum

Semper reuoluis vaſta volumina
IVSTINIANI, et quid doceat Themis,
Alta recludis mente, quondam,
Vt niteas ſimilis Soloni.

Facunda labris mellifluae inſidet
Virtus loquelae, et nectare profluunt
Dicenda: TE credunt feroces
Francigenae Oenotriique ciuem.

Quin mortuus linguae Latii decor
In TE reuixit, factus et amplior
Per TE, Latinae qui fuiſti
Praeſidium et columen cohorti

Diſcedis abhinc et ſine praeſide
Linquis ſodales: dat lacrymas Iena,
Flet noſtra diſceſſum Camena,
Et numeros ſociat dolori.

Adſpiret, eheu! qui ſydera temperat
Curſu, Deus, coeptis, neque tetrica
Sors mutet vnquam, nec ſenectus
Corporis ac animi vigorem.

Sic vera virtus nomen in vltimas
Extendet oras, nec TIBI liuidae
Obliuiones ſubtrahent, quas
Fama vehet ſuper aſtra, laudes.

IIII.

IVSTAE LACRIMAE

QVIBVS

V I R I

EXCELLENTISSIMI ET AMPLISSIMI

IOANNIS HENRICI KROMAYERI

PHILOSOPHIAE PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII SOCIETATIS LATINAE, QVAE ATHENIS PROPTER SALAM, DIRECTORIS ELOQVENTISSIMI

MORTEM

NOMINE SOCIETATIS

ANN. A SOTER. NAT. CIↃ IↃCC XXXIIII. IIII. ANTE CALEND. SEPTEMBR.

PROSEQVITVR

IOANNES GOTHOFRE. ENGELHARDVS

E SOCIETATE LATINA

TEmpora temporibus mutantur: triſtia laetis
Concedunt: nec ferre diu felicior aetas
Proſpera conſueuit: mundi ſors nulla perennis.
Atque eheu! paullatim in peius vertitur aeuum,
Praecipitique ruunt variantia ſaecula curſu.
Non ſecus, ac torrens, circumſalientibus vndis,
Montibus ab celſis, fluctus per prata citatos
Trudit, et Heſperiis radiantia lilia campis
Luto demergens crepitantia ſaxa retorquet,
Donec ad aequoream fertur cum murmure Thetin:
Circumſcripta ruit tua vita citatius vnda,
Gens humana! Ergo cur tempora neſcia finis

Spe-

Speramus vitae? venit haud ſuperabilis hora:
Nil iuuat hic luctus, nihil hic querimonia prodeſt.
Ergo vita breuis, quum, ſpes intexere longas
Non ſinat, inuiſo cur pectora noſtra dolore
Frangimus? vna dies quum maxima corpora ſternat:
Nec ſit, qui certus poſſit ſperare futura:
Nec cuius nutu retro ſua filia reſoluant
Parcae, ſed celeri traducant ſtamine vitam:
Et quem ſol veniens pulchrum videt atque ſuperbum,
Exſanguem hunc fugiens videat ſol atque iacentem.
Sed pietas, et honos mortalia fata retardant
Forſitan, et mortis poterunt retinere furores?
At dolor! haud pietas, haud ſumma ſcientia rerum
Sanguine ſquallentem potuit confringere falcem.
En! KROMAYERVS mediam contingere vitam
Vix potuit, ſacrum mors importuna profanat
Quum caput, et parua magnum ſubmergit in vrna.
Nunc infelices, vbi veſtra potentia, Muſae?
Nullane ſupremi tetigit vos cura miniſtri?
Aut virtute datum, nigras ſuperare ſorores,
Non fuit? aut quae vos crudelis cauſſa coegit,
Tollere de noſtro clariſſima lumina coetu?
Quid? ſi vobiscum ſit tanta iniuria fati,
Muſae! quis veſtras poſthaec accedet ad aras?
Quod modo cingebat facundae laurea famae,
Expallens ſiue voce caput funebria velant
Syrmata! quae verbis adſueta in corpore membra
Pondera ſignabant rerum, iam frigida pallent!
Eheu! KROMAYERE! iaces venerabile corpus!
Cuius mellifluum manabat nectar ab ore;
Spiras lethaeos, mutata ſorte, liquores.
Heu nobis! quam praecipites labentia caſus
Fata agitant! lapſa eſt ſubita, magnaque ruina,
Vertice de ſummo Salanae gloria gentis.
Nunc loca, quae doctis reſonabant vndique verbis,
(Ora tacent coeleſtia enim) deſerta fileſcunt:

Neue frequentantur ſacrata ſedilia Muſis:
Nec docilis currit per limina nota iuuentus,
Sed caput abſciſſum queritur concuſſa dolore,
Atque incorruptam lacrimis deſiderat artem
Dicendique modum. Nec enim ſtudioſior alter
Docta Latinorum verſabat ſcripta; nec alter
Certius a vero poterat diſcernere falſum.
Hinc Charites plorant, auertunt agmina vultus
Muſarum, et lacrimas, ſunt qui ſuper ora ruentes
Se vidiſſe ferunt, vatemque dolere probarunt.
O mortem inuiſam! quae tete flectere threnis
Non paſſa es! legum, ſed ſeruas priſtina iura;
Queis magnos, humileſque feris, queis ſubiicis aeque
Ignotos homines, et ſplendida ſidera terrae.
Quantum praeſidium, quantum mors improba perdis!
At tu perfunctus vicibus vanosque peroſus
Fortunae luſus, iam tu nouus incola laeti
Elyſii medio noſtro laetabere luctu;
Atque coronatus victrici tempora lauro
Coeleſtes inter proceres plus ſole coruſcos
Flammanteſque poli turmas ſtellaſque micantes
Deſpicis humanas curas, moeſtaſque querelas,
Et ſolio aethereo tali ſplendeſcis honore,
Quo pia doctorum ſeries aeterna ſuperbit.
Ergo vos ſaeuo fatorum fulmine tacti!
Et quibus illa Viri dignos iactura dolores,
Attulit, et triſti ſuppreſſit pectora luctu,
Iuſtae ſunt lacrimae veſtrae, iuſtaeque querelae.
Nec ſatis eſt fletus, vel ſi centena profundant
Lumina cuſtodis; lacrimoſaque Tantalis adſtet.
Sed, quae ſiderea manes laetantur in aula,
Quid reuocare iuuat? laetaque educere terra.
Vixit, et humanum curſum cum laude peregit,
Vixit, et aeternum viuent doctiſſima fama
Nomina, per latae florentia climata terrae.

)o(

V. ODE

V.

ODE PROPEMPTICA VIRO IVVENE DOCTISSIMO CASPARO KREZIO AVGVSTANO EX SOCIETATE IENENSI LATINA CVIVS FVIT AB EPISTOLIS A. O. R. CIↃIↃCCXXXVIIII. PRIDIE ID. MARTII DISCEDENTE NOMINE SOCIETATIS CANTATA AB ELIA FRIDERICO SCHMERSAHL EIDEM SOCIETATI ADSCRIPTO.

SVme conſuetum, mea Muſa plectrum,
Muſa iucundos meditare cantus,
Grata ne differ ſociare tentis
Carmina nervis.

Ire nam noſtra parat vrbe doctus
Artium cultor, SOCIVSque carus,
Cui fuit curae ſine labe puram
Ducere vitam.

Qui ſacrae noctes Sophiae dicauit
Et dies totos, cui disputanti
Saepius plauſit veneranda Pallas,
Ipſeque Phoebus.

Cui fuit cordi teneris ab annis
Inclitis mentem ſtudiis polire,
Atque iucundos Latiae lepores
Diſcere linguae.

 Ore

Ore quapropter quoties diſerto
Melleas inter ſocios loquelas
Fudit orator, ſtupuere multi
Docta loquentem.

Ille quum migret IVVENIS Salanae
Vrbis e muris, mihi Phoebus ipſe
Hanc ſuam tradit citharam, iubetque
Fundere carmen.

Sed TIBI verſus tenuis Camoena
Noſtra quos cantet, ſtudiis onuſte?
Haec modo dico: TIBI quisque noſtrum
Fauſta precatur.

Vade nunc tandem patriamque caram,
Quae diu talem IVVENEM popoſcit,
Fructibus dita TIBI quos dederunt
Arsque laborque.

Rura TE quamuis teneant paterna,
Attamen praeſens animis recurres,
Attamen nobis memori manebis
Pectore fixus.

Vrbs caput terrae, celebris triumphis
Et potens ſancta procerum cohorte,
Roma, gratatur reduces, et alta
Voce ſalutat.

Patriae quanto magis alma tellus
TE celebrabit, redeunte, plauſus,
Vade quapropter, IVVENIS, precamur,
Omine fauſto.

Vade ter felix, ſatis et beatus,
Rideat ſemper TIBI fors ſerena:
Fulgidi coeli TVA coepta rector
Ipſe ſecundet.

VI.

VITAE

MORTISQVE RATIONES

COLLEGARVM

QVOS SOCIETAS HABVIT.

I.

VITA ET MORS
IOHANNIS HENRICI KROMAYERI

PHILOSOPHIAE PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII
SOCIETATIS LATINAE DIRECTORIS
IN ACADEMICO PROGRAMMATE
DESCRIPTA
A
FRIDERICO ANDREA HALLBAVER
SOCIETATIS LATINAE DIRECTORE.

PRORECTOR ACADEMIAE IENENSIS

IOHANNES REINHARDVS RVSIVS

SANCTIORIS SCIENTIAE DOCTOR ET PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS

VNA CVM PROFESSORIBVS RELIQVIS

S. D.

CIVIBVS.

ACtus humani dramatis poſtremus morte terminatur, et nemo in hoc magno terrarum orbis theatro perſonam boni, et laudati viri ſuſtinuiſſe putandus eſt, niſi qui et bene vixerit, et bene mortuus ſit. Itaque plenam, ac perfectam laudem morte demum conſequimur, ſi haec aeque praeclara euenerit, quam fuit vita. Quod quum probe perſpexiſſent antiquiſſimi gentes temporis; longe maiores defunctis honores habuerunt, quam ipſis viuis, rati neminem ante obitum omni ex parte vt beatum, ita laudabilem poſſe exiſtimari, et longe excellentiſſimum, laudeque eſſe digniſſimum, collectam in vita gloriam mortis etiam augere praeſtantia. Romani, populus ad vnguem factus, certe in defunctos, ſi bene de publica re meriti fuiſſent, effundere honores conſueuerunt, et tantam familiaribus, indictiuis, ſimpludiariis, translatitiis, maxime vero publicis funeribus decore, et ſplendide faciendis, dederunt operam, vt

vt eorum magnificentiam non ſine ſtupore in marmoribus, et monimentis intueamur. Extremum quum praeſentes propinqui ſpiritum ore excepiſſent; corpus lotum, vnctumque, et veſte, quae mortui, dum viueret, fuerat honeſtiſſima indutum, corona etiam, nunc ex olea, nunc ex lauro, quandoque ex liliis, confecta, exornatum, in lecto, purpura, aut linteis pretioſis conſtrato, collocarunt, et poſt vltimam acclamationem, populo per praeconem certa formula ad exſequias conuocato, ingenti et frequentia, et pompa vel propinqui, vel viri primarii in forum detulerunt, praemiſſis quidem honorum, quos geſſerat, inſignibus, armis, hoſtium ſpoliis, maiorum, ac totius gentis imaginibus. Inter praecedentes tibicines, quamquam procerum funeribus cornua quoque, et tubae adbibitae ſint, qui ſiticen, ſeu ſicinista dicebatur, ſaltabundus naeniam, ſiue cantilenam funebrem, defuncti laudes celebrantem, cecinit, quas praeterea et praeficae, modum plangendi ceteris praeeuntes, decantare ſolebant. In foro autem pro roſtris virtutes defuncti, et quae in vita praeclare geſſerat, oratione praedicabantur funebri: id quod a P. VALERII PVBLICOLAE cos. temporibus, qui primus collegam ſuum, IVNIVM BRVTVM pro concione laudauit, in magnorum, et fortium virorum funeribus fuit vſitatum: quem honorem interdum ſingulos in annos inſtaurarunt. Nihil iam commemoramus de laudibus, quibus in conuiuiis funebribus reuerſos domum amicos cum cognatis; et populum in epulis, aut viſcerationibus, ſi darentur, vel terrae mandatos, vel crematos proſequi, moris erat; nihil de ſepulcris, diis manibus, et diis inferis conſecratis, atque inter ſacra numeratis loca; nihil de columnis, quibus effigies impoſita mortuorum; nihil de cippis, quibus geſta, familia, aetas, vitae conditio, mortisque ratio inſcripta; nihil de ludis, et de reliquis, quibus clarorum funera virorum Romani cohoneſtarunt. Quam Romanorum in colendis praeclare meritorum cineribus, atque in veneranda eorum memoria et religionem, et diligentiam eo magis hoc die imitamur, quo exſequiae ducendae nobis ſunt viro incomparabili, ac de Graecorum, ipſorumque Romanorum linguis, ſapientia, ſcriptis, monimentis optime merito. Cuius, heu! quam acerbum eſt, nomen adſcribere. Enim vero occultari

non

non poteſt KROMAYERI et nomen, et mors: quorum illud omnes, qui per cultiores orbis partes ingenii cultum, et manſuetiorum ſtudia litterarum adamant, vno celebrant ore; hanc miro animorum conſenſu lugent, et lugebunt. Qui quum cunctis ornauerit rebus grauiſſimum; vtiliſſimumque illud ſtudiorum genus, quod paucorum noſtro hoc ſaeculo eſſe ſolet; quum in politiori Graecorum litteratura ad maximorum gloriam virorum acceſſerit; quum caſtigatae, et terſae latinae orationis ſtudio excelluerit; quum diſcipulorum floruerit frequentia; quum ſcripta elucubrata, atque exquiſito verborum adparatu perpolita publicauerit; quum Athenas noſtras eruditione cultiſſima illuſtrauerit; quum denique omnem antiquam laudem complexus ſit: dignus eſt, cuius obitum comploremus, gloriam vero ad poſteros propagemus. Magni enim refert, tam egregii liberaliſſimae humanitatis doctoris imaginem intueri, eiusque ſubinde recolere memoriam, et laudes, multis adquiſitas meritis, ſibi proponere aemulandas. Ortus eſt KROMAYERVS CIↃ IↃCLXXXVIIII XIII Kal. Sextilis ea ex ſtirpe, cuius eximia multis iam abhinc annis exſplenduerunt ornamenta. Parentem ſortitus eſt IOHANNEM HENRICVM KROMAYERVM, philoſophiae magiſtrum, atque in portenſi ſchola doctoris publici extra ordinem munere tum perfungentem, poſtea Memlebienſibus ſacris operatum, virum non vna laude clarum; matrem vero exquiſite cultam, SVSANNAM, integritate, ac fide ſingulari praediti viri IOHANNIS MOITZSCHII, ciuis, et inſtitoris Numburgenſis, filiam, natu minorem. Auus, ERNESTVS NICOLAVS KROMAYERVS, atque huius pater, IOHANNES KROMAYERVS, Vinariae, ille inter *Archidiaconos*, hic inter ſummos ſacrorum praeſules, et aulae antiſtites magnam laudem conſequuti ſunt: non minus auia, ANNA SYBILLA, HENRICI NEVENHAHNII, profeſſoris in hoc athenaeo meritiſſimi, et poſtea conſiliarii Schwartzburgici grauiſſimi, filia, pietatis, et pudicitiae famam reliquit. Patris, nec non praeceptorum domeſticorum, cupide diſciplinam amplexus, omnium exſpectationem celeritate arripiendi, quae tradebantur, vicit: hinc in lyceum portenſe, foecundam illam bonarum mentium matrem, ad capeſ-

ſen.

ſendas meliores litteras cIↄ Iↄcc I ductus, quum ſtudioſius HARTMANNOS, BESSEROS, HEIDEROS, SCHRAMMIOS, MAIOS, et WEIDNEROS, excellentes vario doctrinarum genere magiſtros, adſectaretur, ſingularis ſtatim elegantiae ſignificationem dedit, atque, aetatem ſuperante ingenii curſu, certis frugis exſpectandae indiciis concitatam ſpem confirmauit. In primis, natura hortante, ad accuratam graeci, latinique ſermonis elegantiam magna niſus eſt ope, atque omne ſcriptorum genus excuſſit, ex quibus, ceu fontibus, omnem manſuetiorum litterarum, et ſolidae ſcientiae venuſtatem exquirere, edoctus fuerat: praeſertim vero ad CICERONIS, qui omnes dicendi virtutes vnus Latinorum continet, ſimilitudinem ſeſe effinxit. In quo laudis curſu quum magnis proceſſiſſet ſpatiis; ſubactus liberalium artium exercitatione diuturna, ea elegantis, ad quam natus videbatur, eruditionis praeſidia ad hanc academiam cIↄ Iↄcc XI attulit, vt etiam in interioribus litteris magna caperet incrementa. Duces autem ſibi elegit optimos, HAMBERGEROS, SYRBIOS, STOLLIOS, et MVSIGIOS in philoſophiae ſtudiis; BVDDEOS in ſanctioribus diſciplinis; SCHROETEROS, KRESSIOS, GERHARDOS, et HAMBERGEROS in iuris ſcientiis, noſtrae aetatis lumina, et ornamenta. Ingenuarum artium doctor cIↄ Iↄcc XV illuſtri STRVVIO noſtro amplificatore publice conſtituto, doctor creatus, ſcholas et graecas, et latinas, cum frequenti audientium concurſu aperuit, et non minus diſputando, quam domi commentando magnum in litterarum dignitate nomen tuitus eſt. Alias ſibi delatas grauiſſimorum munerum partes deprecatus, cIↄ Iↄcc XXXI philoſophiae profeſſoris publici ordinarii prouinciam in hoc prytaneo accepit, et vt in dies merita ſua de graeca, latinaque humanitate cumularet, vtramque quouis ſemeſtri interpretatus eſt iis, quos ſolertia praecipiendi allexit, atque poſtremum ſeſe his, qui ſocietatem latinam, publice adprobatam, inierant, praebuit fidiſſimum adiutorem. Quae KROMAYERVS vel ipſe haud inquinato diſſerendi genere ſcripſit, vel dilucidis adnotationibus expediuit, fere haec ſunt, *Hermontini Luciani interpretatio germanica; de cauſſis pereuntium litterarum elegantiorum e Parrhaſianis Clerici; Proba Falconia; Muſaeus de Hero, et Leandro cum variorum adnotationibus: iunguntur*

tur ei de eodem argumento binae P. Ou. Naſonis epiſtolae; Ouidii libri de Ponto; eiusdem libri Heroidum; Iuſti Lipſii orationes octo: additae ſunt eiusdem epiſtolae V. diſſertatio de Epicuro, prouidentiae diuinae adſertore, cuius argumentum maximam partem Gottl. Stollius, vir celeb. ſuppeditauit, Krom. vero ſuae filo orationis omnia expoſuit; diſſertatio, qua docetur, litteras humaniores in academia diligentiſſime continuandas; diſſertatio de Muſaeo Grammatico, quae iuncta eſt etiam dictae Muſaei editioni; diſſertatio ad locum Aur. Corn. Celſi de erroris confeſſione, ſapientibus conuenienti; diſſertatio de philomela ad locum Virgilii contra Huetianorum p. 109. diſſertatio ad locum Celſi, ſenectutem optari ab omnibus, adeptam adcuſari; programma de Virgiliano Hebro contra Pet. Dan. Huetium; recenſiones quaedam, et obſeruationes diuerſis ephemeridibus inſertae, cet. A conſilio ducendae vxoris etſi non abhorreret; ſeruauit tamen coelibatus integritatem, vt Muſis totum ſeſe conſecraret. Sed quum continentes ſtudiorum ſuſtineret labores, et lucubrando detrimentum temporis diurni, quod alia ſibi negotia vindicauerant, reſarciret; non mirum, quod corpus ſenſim frangeretur. Laborauerat iam diu ex diurno pedum tumore, quem difficilis demum inſequebatur reſpiratio: vitio autem corroborato, ſuccoque, et ſanguine magis et magis corrupto, femur vtrumque vna cum inferioris ventris partibus grauius intumeſcere, et quum parum, aut nihil cibi caperet, vires ita deficere coeperunt, vt illuſtris etiam WEDELII, medici artis ſuae vſu, ac meritis ampliſſimi, generoſa, et probata ſaepius remedia tot profligandis haud ſufficerent malis. Placide igitur KROMAYERVS humanae calamitatis finem exſpectauit, et a venerando ſacrorum antiſtite, WEISENBORNIO noſtro, vltimo ſacrae formulae ritu conſecratus, XIII Kal. ſextilis, ipſo die natalitio, hora ante meridiem VII morte, ſomno ſimillima, adquieuit. Obteſtamur vos, CIVES, per merita viri; qui barbariem ſaeculi capitali quodam ſemper eſt inſectatus odio, quem omnes amaſtis, coluiſtis, quemque ardor et publicum decus, et veſtrum commodum augendi, nobis abſtulit, vt hodie ab hora II in funus eius frequentes prodeatis, et demiſſo capite, pioque dolore praeceptorem optimum, deſideratiſſimum comploretis. P. P. ſub acad. ſig. prid. iduum Septembris, anno ſalutis, in priſtinum reſtitutae

cIc Iↄcc XXXIII.

(L. S.)

II. VI.

II.

VITAE CVRRICVLVM

IOHANNIS FRIDERICI WVCHERERI

SANCTIORIS DOCTRINAE DOCTORIS HVIVSQVE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII, SERENISSIMI PRINCIPIS VINARIENSIS A CONSILIIS SACRIS, CIVIVM VINARIENSIVM INSPECTORIS, SOCIETATIS LATINAE COLLEGAE HONORARII

IN ACADEMICO PROGRAMMATE

DESCRIPTVM

A

FRID. ANDR. HALLBAVERO

SOCIETATIS LATINAE DIRECTORE.

PRORECTOR ACADEMIAE IENENSIS

IOHANNES GEORGIVS ESTOR

ICTVS ET IVRIVM PROF. ORDINARIVS COLLEGIORVM IVRIDICORVM, NEC NON CVRIAE PROVINCIALIS ADSESSOR, ET SERENISSIMI PRINCIPIS ISENACENSIS A CONSILIIS AVLICIS

VNA CVM PROFESSORIBVS RELIQVIS

S. D.

CIVIBVS.

At quibus lacrimis triſte academiae noſtrae fatum deplorabimus, quo intra quatuor annorum ſpatium STOCKIOS, BECKIOS, KROMAYEROS, BRVNQVELLIOS, BRVCKNEROS, nunc WVCHEREROS quoque, viros in omnibus diuinae pariter, atque humanae ſapientiae doctrinis maxime verſatos, praecipua litterati orbis decora, ereptos ſibi vidit? quibus tandem verbis incredibilem dolorem, ex hominum optime meritorum, cum quibus pro ſortis coniunctione viximus, obitu acceptum, exprimemus? Satis iam, ſatis calamitatum tulimus, elatis quinque praeſtantium virorum funeribus: enim vero, auctis fortunae incommodis, aliud et theologici, et philoſophici ordinis ornamentum, IOHANNES FRIDERICVS WVCHERERVS, *philoſophiae, et theologiae doctor, huius etiam, et ſcientiae naturalis profeſſor publicus ordinarius, Sereniſſimi Principis Vinarienſis a conſiliis ſacris, ciuiumque Vinarienſium, in hoc prytaneo litterarum ſtudiis obſequentium, inſpector*, nobis haud opinantibus, mortifero conſumitur morbo, quaſi ſic prouiſum ſit, quilibet vt annus, notis academicae cladis inſignitus, funeſtetur. Quodſi ita ageretur cum genere humano, vt in extremo demum humanae aetatis tempore, et quum expleuerint ipſam naturam viuendi ſatietate, homines diuinis animi, atque ingenii dotibus, inſigni, et il-

lu-

luſtri eruditione, prudentia, etiam vſu multarum rerum praediti, ac praeterea virtutis, probitatisque commendatione florentes, humanis excederent rebus; WVCHERERVS profecto ſuperſtes academiae, quin reipublicae cum ſacrae, tum eruditae viueret, atque incolumis, diu indefeſſam adhuc operam publicis impenderet vtilitatibus, et, virtute demum eius ad promiſſae maturitatem excellentiae adducta, extremus veniſſet dies, quo magno ſui deſiderio adficeret cunctos. Neque tamen ideo more gentium, melioris ſpei expertium, iniquitatem fati criminabimur: ſanctius enim ac melius, quam vel recondita illorum ſapientia capiebat, inſtituti, probe ſcimus, praepotens eſſe DEI opt. max. imperium, vnde ſummum vitae, necisque pendeat arbitrium. In quo eo libentius adquieſcere debemus, quod numquam cum piorum eſt damno coniunctum: qui quemadmodum eam viuendi inierunt rationem, vt, deſtructo etiam corpore, animi conſultum ſit ſaluti; ita corporeis ſoluti vinculis, arctius cum DEO coniunguntur, ac perpetuo recreantur ſenſu ſincerae, atque incredibilis voluptatis, ſine periculi metu perfruendae. Triſte quidem, et acerbum accidit viduae, hoc inopinato caſu vehementer perculſae, praeſidio, conſilioque amantiſſimi mariti deſtitutam ſe videre; graue eſt, et luctuoſum liberis, parente amiſſo optimo, in ſqualore, et lamentis iacere, miſerae orbitatis fere incommoda, ſuoque fletu, et lacrimis moerorem matris augere: ſed diuina illa prouidentia, quae curat, et diſpenſat humana, in his etiam calamitatibus ipſorum non poteſt non ſalutis habere rationem. An velle poſſit nocere, qui longe optimus ſit? an qui ſapientiſſimus, ac potentiſſimus, non poſſit miſerias humanae fragilitatis, cunctaque aduerſae viciſſitudinis pericula vertere in adflictorum commodum, et felicitatem? Habent ſane aerumnae, quibus exercemur, hunc vſum, vt interius conſiderata ſecundae fortunae inconſtantia, animum a bonis huius ſaeculi auocemus, atque ad coeleſtia, eaque aeterna felicioris vitae maiori contendamus ſtudio, vt animum pie moderatum, fiduciamque in ſummi numinis praeſidio poſitam, in perferendis fortiter aduerſis caſibus oſtendamus, probemusque, vt denique mo-

dum vitae totius ſanctius conſtituamus. Illacrimentur interim diſceſſum eius, quo anguntur, vel potius excruciantur, vidua, liberique, et propinqua cognatione coniuncti: hoc enim et humanae indolis permiſit ratio, et integerrimi amoris teneritas poſtulat: lugeant auditores doctorem fidiſſimum, optimarum conatu rerum interceptum: nos perſoluemus collegae deſideratiſſimo, ſupremorum, quae exigit pietas. Meinungae, ſummorum Principum ſede, anno poſt homines in libertatem vindicatos cIↃ IↃc LXXXII d. IIII Auguſti, ſeu vti mos Quiritum tulit, pridie non. ſextilis, prognatum exceperunt honeſtiſſimo tam genere, quam animo parentes, IOHANNES FRIDERICVS WVCHERER, primum Sereniſſimi Principis Meinungenſis a commentariis, et epiſtolis, poſtea aerarii prouincialis Ienenſis praefectus, vir magnae ſub id tempus et prudentiae, et auctoritatis, et praeclarae femina exiſtimationis, MARIA SOPHIA, ab ampliſſima KRAVSOLDORVM gente oriunda, quorum ille cIↃ IↃc LXXXXV, haec vero cIↃ IↃCC XX ex hominum vita demigrauit. A quibus antiquum generis decus obtinuit: auorum enim, paterni, IOHANNIS IACOBI WVCHERERI, in oppidano, quod Nordlingae eſt, iudicio adſeſſoris quondam ſenioris, rei armentariae praefecti, et iis, qui in procuratione cauſſarum pupillarium primaria erant, adſcripti, maternique, IOHANNIS HENRICI KRAVSOLDI, conſulis Vinarienſis, et ſenatus oppidani conſiliatoris, virorum ſingularem iuſtitiae, et dexteritatis famam adeptorum; nec non auiarum, paternae quidem, ANNAE MARIAE, ſtirpis AVLBERINAE, equeſtri dignitate exſplendeſcentis, ac maternae, ANNAE ELISABETHAE, GEORGII ROENNERI, in militia Electorum Saxoniae tum tribuni militum vicarii, et ſupremi caſtrorum metatoris, poſt vero praefecturarum Schwarzenbergenſis, Grunhanenſis, et Grotendorfenſis ſummi praetoris, filiae, horumque omnium maiorum tam nomina, quam virtutes iam diu eluxerant. In ſacris mox fontibus CHRISTO, humanae ſalutis adſertori, conſecratus, IOHANNE IACOBO FVHRMANNO, iuris vtriusque doctore, et fori principalis apud Merſeburgenſes praeſide vicario, PAVLLO KVHNHOLDO, Saxonum

Prin-

Principis heic in curia fiſci a conſiliis, et ſupremo iudiciorum praefecto, et SABINA, viri integerrimi, CASPARIS WVCHERERI, cenſus curatoris, coniuge, cunctis ſexus ſui decoribus florentiſſima, fideiuſſorum munia obeuntibus, in parentum ſinu, et complexu primum expolitus, atque ad eximium publici cultus exemplum formatus, poſtea autem, ſimulac per aetatis captum liceret, domeſticis magiſtrorum doctrinis nauiter eruditus eſt. Cum parentibus cIↃ IↃcLXXXXI Ienam delatum, in ſchola oppidana praeceptores conuenientiſſimae diſciplinae ad capeſſenda limatioris litteraturae fundamenta ſponte currentem incitare, vix opus habebant. Patre mature amiſſo, vix dum quartum, et decimum annum egreſſus eſſet, cIↃ IↃcLXXXXVI Nordlingam profectus, ineuntis adoleſcentiae ſubſidium inuenit in amore optimi patrui, praefecti curſus publici, atque ibi in lyceo, cui dexteritatis, et famae egregiae vir, GEIERVS, praeerat, ceu ampliori diligentiae campo, ingenii, ſtudiique vim, atque alacritatem ita oſtendit, vt mirificam ſui exſpectationem moueret omnibus. Quam ſuſtinuit, vicitque non doctrina tantum, ſed compoſita etiam viuendi ratione, atque in vario artium liberalium genere felicius elaborauit, quam fieri vulgo ſolet. Ex Graecorum, Latinorumque ſcriptorum tractatione, et familiaritate ea ſibi comparauit praeſidia, vt in quocumque ſcientiarum genere explorati quid, ac rati conſequi poſſet: atque ſic cum linguarum, tum etiam philoſophiae, cuius principia auide hauriebat, adquiſito adparatu, magna cum laude viam ſibi ad ſolidiorem, atque interiorem rerum cognitionem, cui academicae ſcholae inſeruiunt, muniuit. Tertio, quam exierat anno, Ienam reuerſus, faſces magiſtratus academici tenente, WILDVOGELIO, magni nominis ICto, nusquam vel ingenii vitio, ac torpore, vel voluptatum illecebris relanguit, ſed vt augeret ſcientiam, qua imbutus erat, atque expeditas in ſapientiae potiſſimum ſtudiis progreſſiones faceret, magno, et indefeſſo contendit opere. Vſus autem eſt ſuorum conatuum adiutoribus excellentiſſimis, qui tum academiam noſtram ornabant, quumque in cunctis, quibus intereſſet, philoſophorum, hiſtoricorum, philologo-

rum, ac rhetorum exercitationibus eum ſe praeberet docilitate animi, vt quam fecerat ſpem, longo ſuperaret interuallo, maturitatem aetatis in iuuentutis principio anteuertere credebatur. Sic ſe tractando, magna apud bonos omnes gratia valuit, vt inter aequales multum nanciſceretur gloriae, doctorum autem, in primis HERBENSTREITII, et TREVNERI, philoſophorum ſua aetate maximorum, ſibi conciliaret beneuolentiam. Non minus comiter eius diligentiam, diſcendique ardorem complexi ſunt viri incomparabiles, et tum principatum ſcientiarum, quas docebant, tenentes DANZIVS, et HAMBERGERVS, ille quidem in excutiendo orientis theſauro, vel in aliis commentationum ſacrarum generibus, hic vero in rerum mathematicarum, et naturalium ſtudiis. Iſtis manſuetioris doctrinae, et philoſophiae, quas mediocriter docti non capiunt, ac tanto maiore cum doctorum venia ſpernunt, exercitationibus ſubactus, licet ſingulari quodam amore in ſalutares artes ferretur, neque vllum ſtudiorum genus eſſet, quin ipſi eius ſufficeret ingenium; circumſpectis tamen rebus omnibus, rationibusque ſubductis, ſanctiorem diſciplinam aliis praetulit: quumque ingenio, et induſtriae, quam in ea expromebat, ſubueniret multus liberalis ſcientiae vſus: ſacrarum myſteria rerum haud minori mentis reuerentia, quam virium contentione, ex non inquinatis fontibus, quos ſummi religionis exquiſite interpretandae doctores, BECHMANNI, HEBENSTREITII, FOERTSCHII ipſi fidiſſime aperiebant, hauſit, et quantum etiam in hoc grauiſſimo vtique cognitionis argumento profecerit, et concionando, et diſputando ſaepius, et numquam ſine ſui commendatione declarauit. Cuius rei teſtes habemus adhuc ſuperſtites, grauiſſimos theologos, IESAIAM FRIDERICVM WEISSENBORNIVM, et ELIAM FRICKIVM, de formandis ad puriorem doctrinam ingeniis etiam nunc egregie merentes, venerandum illum ordinis theologici ſeniorem, hunc ſacerdotem Vlmenſium primarium, et diuinioris ſcientiae interpretem longe celeberrimum, quos praeter eos ſectatus eſt duces dexterrimos. Satis a philoſophia, et pluribus inſtructus litteris poteſtatem impertiendae aliis doctrinae vt obtineret, cIↄ Iↄcc III publicos ſapientiae honores ritu maiorum ſuſcepit: ex quo tem-

po-

pore nomen ſuum non minus in arena diſputantium, quam docentium cathedra, conſcriptis etiam, editisque varii argumenti diſſertationibus illuſtrauit. Quae quum nihil vulgare, aut exiguum de eo pollicerentur; anno cIↃ IↃCC XII honeſtiſſimo inter ordini philoſophorum adſcriptos loco cenſebatur. Creſcente, vna cum dignitate nominis, ipſo quoque inſeruiendi communibus academiae commodis ſtudio, ſummis, ſapientiſſimisque Principibus dignus eſt viſus, cui anno cIↃ IↃCC XVII publice phyſices praecepta tradendi, et poſt decennium ea experimentis quoque confirmandi ordinarium munus demandaretur. Veterum, ac recentiorum inuentorum curioſus indagator quum ſemper exſtiterit; partes officii ſui voce, ſcriptisque impleuit, ac naturalium ſcientiam rerum ad maieſtatem opificis ex opificio explorandam adhibuit. Quae res effecit, vt in commentatione diuinioris ſapientiae attente, et conſtanter verſaretur, et complures iam ante annos eius ſancita ita caſte aliis traderet, vt appareret, eum abhorrere a multorum noſtrae aetatis moribus, qui tum ſe ſupra vulgus ſapere exiſtimant, quando liberius ſentire, et ſcire de deo, quam reuerentius, ac rectius credere, videantur. Ob integritatem doctrinae, verborumque Sereniſſimis huius athenaei conſeruatoribus commendatus, anno cIↃ IↃCC XXVIIII prouinciae ſanctiores litteras publice docendi extra ordinem praefectus, ſusceptis anno proximo doctoris inſignibus, ad locum ordinariorum theologorum accedere, tandem etiam non ita pridem in ipſo religioſo hoc ſenatu vicarios ſubire labores iuſſus eſt. Honorificentiſſimum iudicii ſui teſtimonium WUCHERERO dedit Sereniſſimus, et Saxonicae gloriae capaciſſimus Princeps, ERNESTVS AVGVSTVS, Dominus noſter indulgentiſſimus, qui eum et conſiliarii eccleſiaſtici dignitate, et liberaliori auxit ſtipendio, atque inſuper regundis ſtudiis, et moribus Vinarienſium ciuium praepoſuit, quum decem abhinc annis beneficiariorum ephori ſparta ipſi iam obtigiſſet. Quanta induſtria, quanta fide ad extremum vitae ſpiritum cunctis ſatisfecerit muneribus, ac nominis exiſtimationem domi, foriſque amplificauerit: loquantur diſcipuli, quorum plurimi, ipſa eruditionis, eius primum excitatae inſtitutionibus, commendatione, ſacris,

et ciuilibus admoti ſunt muniis; loquantur et ſcripta elucubrata, et exquiſito non minus verborum, quam rerum adparatu perpolita. In vulgus autem emanarunt

DISPVTATIONES.

De defectibus theologiae Platonicae, I. CIↃ IↃCCVI et II. CIↃ IↃCCVII.

de atheo et ſtructura τȣ̃ ἐγκεφάλȣ *conuincendo*, CIↃ IↃCCVIII.

de idearum connexione, eiusdemque effectibus, CIↃ IↃCCVIIII.

de quibusdam iuris naturalis reſtauratoribus, CIↃ IↃCCX.

de quaeſtione, quo anni tempore mundus ſit creatus? CIↃ IↃCCX.

de moralitate abortus, CIↃ IↃCCXII.

de vſu affectuum, CIↃ IↃCCXVI.

de dogmatibus quibusdam phyſicis in doctrina affectuum neceſſariis, CIↃ IↃCCXVII.

de definitione et diuiſione affectuum, CIↃ IↃCCXVIIII.

de affectuum remediis praeſeruantibus, CIↃ IↃCCXXI.

de remediis affectuum ſanantibus, CIↃ IↃCCXXI.

de aequilibrio affectuum in temperamento cholerico-ſanguineo, CIↃ IↃCCXXI.

de aequilibrio affectuum in temperamento cholerico - melancholico, CIↃ IↃCCXXII.

de cometis malorum nunciis, CIↃ IↃCCXXII.

de meteoris igneis et quorumdam ficta ſignificatione, CIↃ IↃCCXXII.

de exſiſtentia DEI e finibus in origine hominum occurrentibus, CIↃ IↃCCXXIII.

de harmonia mentis et corporis humani praeſtabilita ſtabilimento orbata, I. et II. CIↃ IↃCCXXIIII.

de ſubordinatione filii in diuinis non admittenda, adu. Guil. Whiſton, CIↃ IↃCCXXX.

Paullus Hebr. XII, 15-17. termino ſalutis humanae peremtorio minime fauens, CIↃ IↃCCXXXIIII.

PROGRAMMATA.

Inaugurale, de cauſſa motus immediata, CIↃ IↃCCXVII.

de certitudine ſtudii phyſici, CIↃ IↃCCXVIII.

de ſtudio phyſicae dogmat. cultori ſapientiae admodum neceſſario, CIↃ IↃCCXVIIII.

ratio praelection. philoſophicarum methodo noua inſtituendarum, CIↃ IↃCCXXIIII.

de Arii morte miſera, aduerſus Guil. Whiſton. CIↃ IↃCCXXX.

de patribus eccleſiae ante-Nicaenis Arianiſmo non fauentibus, aduerſus Guil. Whiſton. oſtendit cet. CIↃ IↃCCXXX.

epiſt. quae CHRISTVM *ſummam ſuam diuinitatem Ioh. XIIII, 28. non deſtruere, aduerſ. Guil. Whiſton. oſtendit*, CIↃ IↃCCXXVIII.

SCRIPTA.

Meditationes de eo, quod iuſtum eſt circa Lottarias, CIↃ IↃCCXV. 4.

Delineatio phyſicae diuinae, CIↃ IↃCCXX. 4.

Inſtitutiones philoſophiae naturalis, praemiſſo programmate, an hominis circumſpectio ſufficiat euitando fulminis ictui, CIↃ IↃCCXXV. 8.

Hiſtoria creationis obſeruationibus phyſicis illuſtrata, CIↃ IↃCCXXVIII. 4.

Vindiciae aeternae diuinitatis I. C. aduerſus Guil. Whiſtoni expoſitionem fidei duorum a. C. N. ſaeculorum, exercitationibus X academicis propoſitae, CIↃ IↃCCXXVI. 4.

Ne-

Notiones generales theologiae inſeruientes, CIↃ IↃCCXXXVI. 4. *de quo opere, paullo ante obitum coepto, atque omnium, quae ſcripſit ſupremo, occupatus fato, haud plus vndecim plagulas in vulgus edere potuit.*

Caſtigatae, ac terſae Romanae orationis ſtudio, adſequebatur, vt fine ſordibus explanata, et ad intelligendum apta eſſet eius oratio: hinc ſocietati, quae heic floret, latinae, cui ſe adſcribi ſuperiori aeſtate voluit, magno fuit ornamento. Multis priſci maxime exempli virtutibus praeterea excelluit: non inani ſuperſtitione infucata fuit religio, qua deum coluit: in ſenatu academico ſincera ſemper in commune conſuluit fide: eius animus, domusque nemini, cupido diſcendi, non patuit: promtus fuit officio, et obuius; in dicendis publice, priuatimque ſententiis ingenuus, et moderatus; in agendo circumſpectus, minime contentioſus, grauis nemini. In ſuſcipiendis, gerendisque rebus magna vſus eſt prudentia, vt moliretur nihil, cuius eum potuiſſet poenitere: fortunae autem tela aduerſo excepit pectore, atque incommoda ſua, quibus ſubinde conflictabatur, patienter, et modeſte tulit. Cunctos ſibi manſuetudine morum, ac facilitate conciliauit, et in conſuetudine alios non mediocri adfecit voluptate, quando in ſermone, quaſi aliud agens, doctrinae flores ſpargeret. A conſilio ducendae vxoris propterea non abhorruit, vt grauiores ſtudiorum labores ſuauitate domeſticae conſuetudinis leuaret. Iunxit itaque ſibi matrimonio, ipſo auo materno, ZERBSTIO, ſummo ſacrorum praeſule, religionis, candoris ſanctitatisque gloria etiam poſt fata bonis omnibus probatiſſimo, ſanctiſſimum chriſtiano ritu foedus d. XVIII. ian. CIↃ IↃCCXVIII conſecrante, virginem, quauis praeſtanti ſexus ſui laude inſignem, viri illuſtris, BARTHOLOMAEI KELLNERI, Marcuippacenſe praedium vna cum Dielsdorfio, iure hereditario poſſidentis, Sereniſſimi patriae Patris Cancellarii Vicarii, et in ſummo religioſi ſenatus conſeſſu directoris, non minus dexteritate ſuadendi, et meritorum in magnam Saxoniae partem, atque hanc etiam academiam fide, quam aetate venerabilis, filiam, SOPHIAM DOROTHEAM, in cuius amore, ac fide, vitae cepit, deliciarumque fructum. Ex qua natas duas, WILHELMINAM DOROTHEAM SOPHIAM d. VIII mart. CIↃ IↃCCXVIIII, et CHRISTIANAM CHARLOTTAM HENRIETTAM d. I ian. CIↃ IↃCCXXII, et poſt integrum decennium d. XXVII febr. CIↃ IↃCCXXXII filiolum, BERNHARDVM WILHELMVM FRIDERICVM, ſuſcepit, illas ad omne decus formatas, virtutumque maternarum aemulas, hunc ingenio capeſſendis artibus mirifice adcommodato praeditum, atque in ſpem ſummam exprimendae aliquando auitae, patriaeque laudis venientem. Quum ante biennium morbo tentaretur hectico; malum diſſimulauit magis, quam non ſentiret, et partim naturae viribus partes medendi reliquit, partim ipſe valetudinis vitium, adhibitis medicamentis, corrigere ſtuduit. Sed neruorum, genuinamque firmitudine plus, plusque in dies amiſſa, intellexit, morbum in viſceribus inſidentem, ſuccum, et ſanguinem ſenſim corrumpere, corpusque, intumeſcentibus maxime interdiu pedibus, contabeſcere: neque tamen de valetudine recuperanda deſperauit, ſed Iſenacum cum ſuis proximo aeſtatis tempore profectus in partes conſilii vocauit medicum, ac phyſicum Iſenacenſem, conſilio, ſtudioque medendi feliciſſimum, WILHELMVM ANDREAM KELLNERVM, affinitatis vinculo ſibi iunctum, poſtea etiam ſalutaris artis facultate, atque vſu excellentiſſimum HILSCHERVM noſtratem. Viribus autem magis labefactatis, atque attritis

ad

ad probatiſſimam WEDELII, Aeſculapii noſtri, artem confugit: hic vero morbum iam inueteratum, omnique grauiorem medicina ſtatim deprehendit: nihilominus optimis, et conuenientiſſimis remediis vim eius, ſi, aliis etiam accedentibus ſymptomatibus, infringi penitus non poſſet, identidem mitigare ſtuduit. At ille nihil veritus, pertinacis morbi incommodis haud ita offendebatur, vt ſpem ſalutis recuperandae depoſuerit omnem. Id vero non minus, quam quod rem, vtcunque caderet, arbitrio ſummi numinis permitteret, animumque ad venerandum diuinum imperium componeret, effecit, vt merito ſeruatoris, ceu firmiſſimo munitus praeſidio, ſacri etiam viatici vſu a plurimum reuerendo MVSAEO, ſolertiſſimo ſalutaris cultus interprete, denique ſacrae formulae ritu a venerando WEISSENBORNIO, ſeniore, confirmatus, quam leniſſima, et ſomno ſimillima morte d. VI. febru. ab hora II meridiana, integris ſenſibus, de vita exiret, expleto ſupra annos LIIII ſemeſtri. Extremo tempore vnici fratris, ſplendidiſſimi muneris dignitate, ac meritorum, quibus aulicum imperii conſilium cumulat, amplitudine perilluſtris, HENRICI BERNHARDI WVCHERER, Bandereſii, et L. Baronis de HVLDENFELD, ordinibus equeſtribus Rhenano, Franconico, et Sueuico, adſcripti, a conſiliis Auguſtiſſimi imperatoris, et S. Imperii Romani et Germanici aulicis, rel. amorem, egregiam erga ſe, ſuosque voluntatem, ac liberalitatem praedicauit, eius beneuolentiae et prouidentiae ſuos commendauit, denique ipſi ſecundum vitae, ad ſeros producendae annos, curſum adprecatus eſt. Cuius animum, defuncti deſiderio ad triſtitiam adductum, praeſertim vero moeſtiſſimae viduae, lugentium liberorum, et aliorum, ad quos hic caſus maxime ſpectat, ſuperſtitum dolores leniat, eosque rebus integris ſupremum numen diu conſeruet. Corpus d. VIII febru. nocturno funere ad ſepulturam datum, atque in templo vrbis primario conditum eſt, eo quidem loco, vbi patris oſſa quieſcunt. Hodie vero memoriam defuncti proſequentur laudati iam viri, WEISSENBORNIVS, inter cetera ornamenta longe omnium dicendo grauiſſimus, concione funebri, et MVSAEVS, itidem dicendi facultate praeſtans, oratione laudibus eius conuenientiſſima. Date hoc, ciues cariſſimi, profeſſoris veſtri, ſuis de muniis bene promeriti, coelo redditi, manibus, atque honori, vt, pulſo aere campano, hora I poſtmeridiana in aedem dictam, animis ad mortalitatis propriae recordationem compoſitis, frequentes nobiscum confluatis: imaginem autem tanti viri in relictis ingenii circumſpicite monimentis. P. P. ſub acad. ſig. d. XVII martii, quem diem faſti ſanctius ordinati inſigniunt, dominica reminiſcere, anno pacis diuinitus redintegratae CIƆ IƆCC XXXVII.